BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
C
28
NAPOLI

FEBRONIUS
ABBREVIATUS,
CUM NOTIS,
ADVERSUS NEOTERICOS TEHOLOGOS ET CANONISTAS etc.

TOMUS V.



B. R. NEAPOLIS

FRANCOFURTI ET LIPSIAE.

1785.

Juſtini Febronii ICTi

Caput VIII.

De

Libertate Eccleſiæ, ejusque reſtaurandæ Jure & mediis.

§. I.

Eccleſia univerſalis habet ſuas libertates communes.

Particulares Eccleſiæ particularibus utuntur conſuetudinibus: utræque ſacræ ſunt.

Illæ conſiſtunt in retentione & executione juris veri, rejecto falſo.

Lex Chriſti eſt *Lex libertatis.* Plures Theologi & ICti præſertim Itali eam vix non fecerunt legem ſervitutis. Citat author ſuum Caput III. §. 11. n. 9. ita ſcripſit Cardin. Contarenus, nihil magis contra legem Chriſti excogitari poſſe, idololatriam ſapere, quod Chriſtiani ſubjecti ſint, & parere debeant Pontifici, qui pro arbitrio leges conſtituat, abroget, diſpenſet, & habeat ſuam voluntatem pro Regula. His principiis hodiedum Romæ inſiſtitur, & quidem ab

iis, qui ad clavum ſedent. Vid. Caput III. §. 11.

Eccleſiaſtica libertas alia eſt *generalis*, ſeu univerſalis Eccleſiæ, altera *ſpecialis* particularium Eccleſiarum: ad hanc pertinet Canon. VI. Concilii Nicæni & Conſtantinopolitani I. Can. 2. & 4. Quisquis contra harum particularium Eccleſiarum conſuetudines quid attentaret, aut illarum jura ſubvertere conaretur, contra earum *libertatem* agere, vel injuſtam *ſervitutem* imponere cenſendus eſſet.

Univerſalis Eccleſiæ libertas proprie conſiſtit in exemptione ab omni onere injuſto, maxime autem à vinculo legis, quæ emanat à Poteſtate non legitima, & omnes Eccleſias communiter gravat. Tale eſt *jus Iſidorianum*, Teſte Stephano Balluzio eſt *hoc jus novum ab impudentiſſimo illo Nebulone* Pſeudo-Iſidoro compactum, quod ſucceſſit *Juri antiquo*: deſinentibus tunc Synodis provincialibus, & amplificata Rom. Pontificis Authoritate facies Eccleſiæ mutata fuit: non habuit ille jus Eccleſiam turpibus his legibus

gra-

gravandi, & hæc deprehenſa falſitate jus habet ſe in libertatem vindicandi; concluditur, *Jure antiquo* Eccleſiam recté, juſté, liberé rectam fuiſſe, *jure novo* in non tolerandam ſervitutem redigi.

1. Curialiſtæ romani eccleſiaſticæ libertatis inimici ſunt. Cauſas Barthelius Diſſert. III. de Concord. in Præfat. aſſignat, neglectum antiquorum Canonum, & hiſtoriæ eccleſiaſticæ, promiſcuam principiorum per decretales inductorum receptionem, authoritatem nimiam deciſionibus Rotæ, & nato inde ſtilo Curiæ tributam, allegationem & ſequelam doctorum ſine prævio examine: Zallwein addit intereſſe proprium, habendi cupiditatem, ambitum, & fortaſſis odium nationale cum invidia conjunctum. Quis liber homo patitur ſibi à talibus imperari?

2. Talia etiam profert Zallwein contra ſimiles Doctores Germaniæ, quos inſuper culpat de inani & exceſſivo timore rejiciendi talia principia & prætenſiones.

3. Si Romani & horum ſequaces ſuis veris commodis ſtuderent, tum intelligerent, his libertatibus nihil derogari Pontificis authoritati, ſed inde hanc potius ſublimari & firmari, quia illæ ſupponunt unionem cum Sede romana, commendant regimen Pontificum, tanquam ſecundum Chriſti inſtitutum, obſtruerent ora eorum, qui Pontifices exceſſivi dominatus accuſant, præſcindunt occaſiones conflandi Schiſmata, intercludunt viam invocandi brachium ſæculare, & Principum potentiam ad depellendum gravamina, ſunt conformes antiquiori & ſanctiori diſciplinæ. Ita Zallwein.

Innumera ex hiſtoria tam veteri quam noviori proſtant exempla, quibus conſtat, Pontifices maxime ſollicitos fuiſſe, ne jura Eccleſiarum & Præſulum minuerentur, & attente curarunt, ne in diſpenſandis privilegiis, exemptionibus, diſtribuendis novis titulis, honoribus, aliisque cuicunque demum præjudicium inferrent.

Nota.

Nota.

Lex Chriſti eſt lex libertatis. Ita eſt: ſacræ paginæ taliter ſe exprimunt; at *libertas legis novæ* opponitur *ſervituti legis veteris* moſaicæ, & libertas legis novæ ſtat in immunitate ab innumeris cæremoniis, & judiciis legalibus legis veteris, in liberatione à ſervitute diaboli per Sacramenta, in uberioribus legis gratiæ Beneficiis per merita Chriſti nobis donatis, per quæ *in libertatem* filiorum Dei ſumus aſſerti, Legat Febronius acta, & epiſtolas Apoſtolorum, & videbit in his ſtare libertatem legis chriſtianæ, quomodo igitur huic libertati authoritas, & leges pontificiæ opponuntur, atque *ſervitus* vocatur? Egregia ſane, & ad S. Scripturæ normam exacta doctrina!

Cardinalis Contarenus optime carpit quosdam Jurisperitos dicentes, *voluntatem Pontificis eidem pro regula eſſe, in omnibus poſſe pro arbitrio agere.* Sunt & hodie adulatores, qui talia Principibus perſuadent: hæc principia utique vera non ſunt; at falſiſſimum eſt, iisdem Romæ, & quidem ab ip-

ſis Pontificibus inſiſti. Vid. in eod. Cap. III. §. 11. in Not.

Quæ ex Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano allegantur, Prærogativæ, Privilegia ſunt: Febronius *libertates ſpeciales* vocat; ſed num omnes Prærogativæ, Privilegia, conſuetudines ſunt libertates? anne libertas eſt, quod tot Eccleſiæ particulares alicui primariæ Metropolitanæ vel Patriarchali ſubdantur, atque ab iſta dependeant? & tamen iſta ſubiectio pro bono ordine iuſte introducta & à Conciliis generalibus primô Eccleſiæ ævô confirmata Servitus dici non poteſt; equidem illa privilegia à nemine tolli debent, aut poſſunt, quia pro fine habent rectum ordinem & bonum Eccleſiæ, à tota Eccleſia in Conciliis generalibus, adeoque etiam à Capite Eccleſiæ ſunt approbata, confirmata. Nihilominus quando ceſſat finis horum privilegiorum, jmo potius contrarium effectum producunt, bonus ordo per ea magis invertitur, aliud poſtulat neceſſitas & bonum Eccleſiæ, uti factum eſt, quando illæ primariæ & privilegiatæ Eccleſiæ, de quibus

bus ſupra dicta Concilia ſermonem habent, in Schiſmata & hæreſes abiêre, an tunc iſtæ conſuetudines & Privilegia tolli non poſſunt, ac debent? vel potius an non per ſe corruunt? an non ſtat penes univerſam Eccleſiam libertas ea aufferendi? quid iam dicendum de aliis conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, quæ tantam ætatem non præſeferunt, nec à Conciliis generalibus ſunt canonizatæ?

Libertas univerſalis Eccleſiæ, ait Febronius, *conſiſtit in exemptione ab omni onere iniuſto, maxime à vinculo legis, quæ emanat à Poteſtate non legitima, & omnes Eccleſias communiter gravat.* Admittamus hanc qualemqualem definitionem. Sed Poteſtas non legitima dici non poteſt, quæ eſt in Eccleſia, quia Eccleſia habet *propriam* & divinitus collatam *poteſtatem;* hinc excluditur ſolum Poteſtas aliena, externa, etiam civilis titulo defenſoris, tutoris, advocati, quæ in Eccleſia nihil ſtatuere poteſt; nam omnes hi tituli & officia nullam poteſtatem, niſi tantum ſubſidiariam tribuunt, quæ non propria eſt, ſed

Poteſtati eccleſiaſticæ ſubſervit. Febronius ſubſummit: *tale per omnia eſt jus Iſidorianum;* nempe quod iniuſtum onus imponit, & emanat à Poteſtate non legitima. Quod ſi hoc etiam concederemus, quid ſeq uitur? hoc ſcilicet, Poteſtatem R. Pontificis in Eccleſia non eſſe legitimam, ſicque illum onere iniuſto gravare omnes Eccleſias. Huc totum Febronii intentum collimat; idipſum eſt, quod ſubinferre vult. Verum hæc ſequela catholica non eſt, quin & falſiſſima eſt. Quippe falſum eſt ſubſumptum, quod ſupponitur, Poteſtatem R. Pontificis circa reſervationem cauſarum maiorum, Appellationes, leges ferendas, & quam univerſim in Eccleſia tenet, ſoli *Juri Iſidoriano* inniti. Demonſtravimus hactenus per Capita in Notis ex S. Scriptura, traditione, probatiſſimis ac genuinis teſtimoniis Patrum, Conciliorum, conſenſu atque praxi Eccleſiæ & ipſorum veterum Pontificum hanc poteſtatem romano Pontifici, & quidem Jure Primatus divini competere, & hoc ne tacto quidem Jure Iſidoriano, quin & ante omnes Iſidori decretales.

Equi-

Equidem quod decretales Iſidori attinet, me refero ad ea, quæ Cap. III. §. 9. in Notis dixi communes hodie paræmiæ ſunt: Juri antiquo ſucceſſit Jus novum: Jus Iſidorianum jus novum eſt; hoc jus falſum eſt: per id totus Eccleſiæ ſtatus & Regimen in deterius fuit immutatum; in hoc Jure fundatur Monarchia papalis & omnis Poteſtas, quam hodie in Eccleſia exercet ſummus Pontifex. Qui his principiis tanquam certis non ſubſcribit, è numero Doctorum exulat, ad Idiotas, Pedantes, fanaticos cum ſibilo detruditur. Quinam ſunt autem egregii hi viri, qui nobis iſta principia ſtatuunt, atque pro veritate obtrudunt? David Blondellus, Launoius, Stephanus Balluzius, Fleurius, Petrus Couſtant, Zegerus van Eſpen &c.; hos jam hodie magno numero ſequuntur Canoniſtæ & Theologi Galliæ, Germaniæ; verum illi ſoli non fuerunt, qui falſitatem decretalium Iſidori detexerunt, & agnoverunt: ſunt & alii viri maximi, & multo præſtantiores, qui idem agnoverunt, ſenſeruntque, Card. Perronius, Petrus de Marca, Antonius Auguſtinus, Sirmondus, Petavius, Lab-

 bæus,

bæus, Chriſtianus Lupus, Schelſtrate, Natalis Alexander, Anton. Pagius, Graveſon; Card. Bona, Papebrochius &c. Attamen iſti de Epiſtolis decretalibus longe aliter loquuntur: illi priores ex eo, quod falſam inſcriptionem aut ætatem proferant, etiam concludunt, id ipſum, quod continent; falſum, malum, & meram impoſturam eſſe; poſteriores teſtantur, epiſtolas illas decretales continere, & paucis demptis, concinnatas fuiſſe ex ſententiis & verbis legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui Sæculo IV. & V. floruerunt.

Quare autem hodierni Scriptores tantum illos priores ſequuntur, qui non rite concludunt, & aliunde non omnem fidem merentur, & non magis hos poſteriores, qui authoritate, doctrina & eruditione illos longe antecellunt? nempe qui alios de præjudiciis continuo accuſant, iisdem præ cæteris ipſi maxime ſunt conſtricti: ſæpe grus gruem ſequitur: ſæpe quis minus ſapere ſibi videtur, ſi non loquatur, quæ hodie magis placent, & etiam inſipientibus arrident. Habebunt

hinc

hinc Poſteri, quod rideant noſtrum Sæculum, quod vocant, illuminatum. Sed ulteriores fallacias aut ineptias in lucem protrahamus. *Jus novum* gravat omnes Eccleſias? ſed quando Epiſcopi juxta Febronium Poteſtate æquales & univerſales primis ſtatim Sæculis intra limites certi diſtrictus & Diæceſis ſunt coarctati; quando ipſis prohibitum fuit, in alienis Diæceſibus quidquam agere; quando Metropolitis & Patriarchis fuerunt ſubjecti, tunc utique eo tempore hoc *jus novum* fuit, reſtrictione, ſubordinatione, ſubjectione gravabat Epiſcopos & Eccleſias, & tamen nemo querebatur, tale *jus novum* introduci non poſſe, vel opprimi *libertatem* Eccleſiarum. Ergo definitio Febronii *de Libertate Eccleſiæ* apta non eſt.

Ad jus Eccleſiæ antiquum utique pertinent etiam *Canones apoſtolici*: hi ſecundum recentiorem criticam falſo Apoſtolis adſcribuntur, ſunt recentioris ævi, & nomen compilatoris ignoratur: nihilominus hi Canones ſunt recepti in Eccleſia græca Numero 84., in Latina ſaltem 50. Si ergo hi Canones

non

non aliunde quam ex receptione Eccleſiæ ſuam authoritatem tenent: ſi Eccleſia non obſtante falſitate authoris & ætatis hos Canones apoſtolicos dictos in authoritatem recipere potuit, recepitque; quid prohibet, eam recipere potuiſſe, atque in authoritate tenere decretales Iſidori, quando iſtæ continent utilia, & etiam veteri diſciplinæ conformia? Siccine Adverſarii in noſtra Eccleſia vituperant, quod in veteri approbare & laudare coguntur.

Jus antiquum juxta Febronium, Stephanum Balluzium &c. duravit usque ad ævum Caroli Magni. Sed anne illud cæpit cum Eccleſia? an ſemper extitit? utique reſpectu noſtri ævi jus illud antiquum eſt: ſed Eccleſia quovis tempore ſemper & novo & antiquo jure utebatur; nam ſibi ipſi jus ſtatuit; de tempore ad tempus per Concilia & ſummos Pontifices novi Canones, novæ decretales, novæ leges exortæ ſunt, quandoque etiam veteres Canones abrogati, uti de legibus circa Lapſos & Canonibus pœnitentialibus manifeſtum eſt, per quod anterior

diſci-

diſciplina non parum fuit immutata. Igitur male ad *jus antiquum* provocatur. Eccleſia ſemper habuit, exercuitque Poteſtatem ſibi jus antiquum immutandi, novum conſtituendi in diſciplina, quæ ſemper variabilis fuit, & adhuc eſt: habuit autem cauſas hujus immutationis, quas aſſignavimus cit. Cap. III. §. 9. in Not,

Sed inquies; per Iſidori decretales rom. Pontifici tribuitur nimia & exorbitans poteſtas, & Monarchia prius ignota in Eccleſiam inducitur.

Reſpondeo 1. quando collectio Iſidoriana recepta fuit, non ignorabat Eccleſia, quisnam antea de Poteſtate rom. Pontificis & forma regiminis fuerit communis ſenſus Eccleſiæ? 2. Supponi non poteſt, quod Epiſcopi & tota Eccleſia voluerint inducere aliam Regiminis formam primævæ inſtitutioni omnino contrariam. 3. Quamquam illæ decretales à primis Pontificibus non emanaverint, tamen ea, quæ continebant, legere poterant, & videbant in ſententiis legum, veterum Canonum & Sanctorum Patrum

trum Sæculi IV. & V., uti ſupra citati authores teſtantur. Ex his ſequitur, harum decretalium doctrinam non penitus novam, nec etiam ſenſui & doctrinæ veteris Eccleſiæ contrariam fuiſſe.

Equidem his Iſidori decretalibus obſtrepuit aliquamdiu Hincmarus cum quibusdam Galliæ Epiſcopis, quia alias decretales genuinas non eſſe agnoſcebant, niſi quæ corpori Juris eſſent inſertæ. Sed Nicolaus I. non ambitione, non extendendæ authoritatis ſtudio, uti calumniatur Febronius, ſed argumentis & genuina authoritate Prædeceſſorum ſum. Pontificum Innocentii I. Leonis I. Gelaſii I. Gregori M. oſtendit, ea, quæ in decretalibus illis continentur, ſemper privilegia fuiſſe Sedis apoſtolicæ, proin doctrinam harum decretalium, etſi hæ genuinæ non eſſent, antiquam & veram eſſe. Quantum autem hiſce adquieverint gallicani Præſules, colligi poteſt ex ſola Epiſtola ſynodica Concilii Tricaſſini anno 867. Ad Nicolaum I. data, Tom. 10. Concil. apud Labbe. In ea Synodo autem omnes galliæ Epiſcopi

cum

cum ſex Metropolitanis convenerant, quos inter etiam Hincmarus Rhemenſis aderat.

Ergo inferes, per receptionem harum decretalium *Eccleſia* rom. Pontifici *tribuit, auxitque* hanc Poteſtatem? nequaquam. Si doctrina in decretalibus contenta jam Sæculi quarti & quinti fuit: ſi Nicolaus I. oſtendit, eam in genuinis Epiſtolis anteriorum Pontificum contineri: ſi hi ipſi veteres Pontifices commonſtrant, hæc privilegia Sedis apoſtolicæ eſſe; à Chriſto Petro *donata* fuiſſe, ad Primatum pertinere: ſi idipſum ex traditione & genuinis teſtimoniis per omnes partes hucusque demonſtravimus, tunc Eccleſia non *tribuit*, non dedit, ſed agnovit, & recipiendo docuit, hanc Poteſtatem & Privilegia rom. Pontifici ex jure Primatus competere, hoc ſolum diſcrimine interveniente, quod primis Sæculis non ſemper exercuerit hanc poteſtatem rom. Pontifex, quia vel utile vel neceſſarium non fuit, poſtmodum vero exercere debuerit ob utilitatem aut neceſſitatem Eccleſiæ, vel ſi mavis cum Thomaſſimo loqui: *ſi qua Poteſtas dicitur*

quoad

quoad uſum & exercitium deveniſſe, aut devoluta eſſe à Conciliis ad ſummum Pontificem, non eo ſignificatur, ab illis ei collatam eſſe. Item *in uſu & exercitio variatum eſt, non in Poteſtate, quæ & in Conciliis provincialibus pro ſuo modo, & in rom. Pontificibus pro eorum ſummo Principatu eadem ſemper intacta atque illibata viget. Erumpit autem, & exercetur non eodem ſemper modo, ſed pro locorum, temporumque & rerum oportunitate, pro Eccleſiæ ſive utilitate ſive neceſſitate.* Et infra: *contra Sectarios nihil novatum eſſe demonſtres, niſi ex Eccleſiæ utilitate, niſi ex Charitatis lege, niſi cum ſumma epiſcopalis inter ſe Collegii conſenſione: nihil novæ Poteſtatis ſummo Pontifici acceſſiſſe; ſed ſi nonnulla, quæ per Metropolitanos & Concilia particularia prius exercebantur, cœpit ipſe unus ubique exercere, id totum profectum eſſe, non alienam uſurpando Poteſtatem, ſed ſuam explicando, aut alienam jure ad ſe devolutam ſuæ accumulando, non principandi latius libidine, ſed conſulendi Charitate, non in inferiorum munia invadendo, ſed eorum ceſſationem aut defectum ſupplendo, Epiſcopis nequaquam renitentibus, ſed ultro concedentibus, ultro apoſtolico*

Prin-

Principatui aſſurgentibus. Ita clariſſimus vir Thomaſſinus, & veriſſime quidem, ſe explicat in ſuis reſponſis ad cenſuras ſcriptoris Anonymi. His omnibus adde, quæ Cap. III. §. 9. &c. in hac materia in Notis dedimus, queis totum hoc Febronii Caput III. penitus evertitur, atque merito ab ulterioribus reſponſis ſuperſederemus, niſi nobis pro inſtiſtituto foret argumenta Febronii in compendio dare, ejusque fallacias & malam fidem oſtendere.

Ad 1. Barthelius de nimium vagis & generalibus quorundam principiis atque ſententiis loquitur; Nos de poteſtate regulata ſecundum neceſſitatem, utilitatem Eccleſiæ, & leges Charitatis, unitatisque; huic, ut ſæpe jam vidimus, non contradicit, ſed omnino aſſentitur Barthelius. Abſit nimietas, ſed per hoc non tollitur ipſa poteſtas; hæc, non illa, neque etiam merum arbitrium Pontificis in ipſis Decretalibus probatur: illa non Decretalium, ſed Curialiſtarum quorundam doctrina eſt. Turpes effectus, quos addit Zallwein, Itali facile in ſinum ſuum cum

dedecore ſuæ Nationis retorqnere poterunt, ipſum ſaltem de præjudiciis reum veriſſime arguent.

Ad 2. Non eſt timenda veritas, ſed calumnia, contumelia, falſitas, quando falſa veris miſcentur, ultra veritatem exceditur, à facto ſingulari ad generalem doctrinam concluditur, ſiniſtra mens & intentio ſummis Præſulibus pro libitu affingitur, poteſtas, uſus, abuſus &c. confunduntur, prout omnia hæc hodierni Scriptores agunt. Talia vel ignorantiam vel malam fidem, vel calumniandi pruritum arguunt.

Ad 3. Poſtulata Febronii & Zallwein ſupponunt centrum non fixum, & cui reliquæ partes libere ac pro arbitrio ſolum uniuntur, item Centrum & Regimen iners ſine Poteſtate, ſine effectu; talia aperiunt ora ad contemptus edendos, facile conflant Schismata, Principibus ſubjiciunt Poteſtatem eccleſiaſticam, & ipſam Eccleſiam, repugnant cum traditione, & veteri diſciplina; hæc ſæpius jam demonſtrata ſunt: ergo admitti non poſſunt.

Cæte-

Cæterum ſi hiſtoria tam vetus, quam nova nobis exempla innumera præbet, Pontifices maxime ſollicitos fuiſſe de juribus Eccleſiarum & Præſulum, ne minuerentur, & ne cuicunque demum præjudicium inferrent; ut quid ergo contra Pontifices inſurgit, eos de uſurpatione, fraudibus, violentiis accuſat, atque convitiis onerat Febronius? hac ſua propria confeſſione ſeipſum proſternit, atque ſic etiam in cæteris ſalſitatis convincitur.

§. II.

Cauſa primaria lapſus diſciplinæ & alteratæ formæ eccleſiaſticæ ſunt ficta Decretales Iſidori, Quæ usque ad noviora tempora Actis publicis normam dederunt.

Conſidero Papam ut *Caput Eccleſiæ*, non ut *Monarcham*, penes quem jus & authoritas per ſe univerſam Eccleſiam & ſingula ejus membra regendi, & pro exercitio ſacri hujus Imperii Epiſcopis partem ſuæ poteſtatis pro arbitrio communicandi, tollendique reſideat. Si in hoc erro, fateor, me ſcripſiſſe totam errorum congeriem: ſi non

erro, credo, me dixiſſe veritates naturaliter & neceſſario cohærentes, aptasque ad reſtituendam nativam illam Eccleſiæ formam & diſciplinam; quam omnino convulſit infelix illa Monarchiæ ſacræ Idea, per falſas Iſidori Decretales in chriſtianum orbem invecta.

Claudius Fleurii *Diſc.* 3. *in hiſt. Eccleſ.* & authores *hiſtoriæ litterariæ Gall.* tom. 4. oſtendunt, primitivam Eccleſiæ diſciplinam ſub præſidio confictarum Decretalium collapſam, quin & abolitam fuiſſe. Forma Regiminis à Chriſto inſtituta expoſita fuit Capite I. &c. per Iſidori Decretales introducta Cap. III. §. 9. Si quæratur 1. an ſaltem excuſandum ſit factum Iſidori? 2. An effectus falſi adhuc in Eccleſia perduret? 3. An ille effectus bonus vel malus ſit? Reſpondetur in utramque partem; & quidem Chriſtianus Lupus ait, depreſſa ubique per Bella & Regnorum invaſiones apoſtolicæ Sedis Majeſtate, & omni eccleſiaſtica Jurisdictione *finxiſſe pium fidelem* ſub nomine antiquorum R. Pontificum Decretales Epiſtolas. Natalis Alexander *maleferiatum impoſtorem*, Balluzius *Nebulonem impuden-*

pudentiſſimum appellat. Quis feret confictorem, qui canones falſos, ſenſui & diſciplinæ antiquorum Pontificum adverſantes fingit? egregie iſta perſtrinxit aliquis eruditus apud Zegerum van Eſpen Commentar. in Canon. p. 485.

1. In Capitulis anno 785. ab Hadriano P. Ingilramo Metenſi Epiſcopo *Romæ* traditis, vel quæ ab hoc Adrianus P. recepit, multa ex falſis Decretalibus, jam conſpiciuntur. Hincmarus Rhemenſis in Opuſc. contra ſuum Nepotem tradit, collectionem Iſidori à Riculpho Moguntino Archiepiſcopo ex Hiſpania Moguntiam allatam, & in alias Regiones divulgatam eſſe: fuerunt autem Decretales jam ante, & Romæ quidem compoſitæ, ut gravis fert ſuſpicio. D. Barthel teſtatur, Codicem Iſidorianum, *urgente vehementiſſime Nicolao I.* à tota Eccleſia, in Germania, adnitente potiſſimum Riculpho Moguntino, receptum eſſe.

2. Sæculo IX. ad has Decretales provocavit Nicolaus I. Epiſt. 47. in cauſa Rothadi Sueſſionenſis. In Concilio rhemenſi anno

992. Epiſcopi Galliæ, ſicut & ſubſequentia Concilia iis Epiſtolis tanquam genuinis utebantur.

3. Idem fecêre Canonum collectores Regino, Burchardus, Ivo, Gratianus, qui genuinos Canones cum falſis conciliare ſtudens conciliandi rationem veris Canonibus diſſonam & evidenter contrariam iniit, & tamen iſta, dum in ſcholis prælegi cœperunt, pro antiquo jure recepta ſunt.

4. Dum de ſinceritate & veritate harum Decretalium vix non amplius dubitaretur, Pontifices earundem authoritatem urgerent, Epiſcopi Metropolitanorum & Conciliorum provincialium Jurisdictioni ſe ſubtrahere volentes, eis frequenter uterentur, uno quaſi conſenſu Clerus, populusque tantis nominibus antiquorum Pontificum decepti earum authoritatem & diſciplinam receperunt.

5. In Concilio tridentino de emendando Decreto Gratiani cogitatum fuit; hanc provinciam Pius IV. & Pius V. quibusdam viris in romana Curia commiſerunt. Sub Gregorio XIII.

XIII. hoc opus abſolutum fuit, qui ait, jam magnam partem ſuum cuique tributum eſſe, ut poſthac quis errare, incerta pro certis, & certa pro ſuſpectis habere non queat. Sed notum eſt, ex ſuppoſititiis Epiſtolis ne unam ſublatam, vel alicujus inſcriptionem emendatam fuiſſe.

6. Circa hiſtoriam receptionis falſarum Decretalium fere eadem repetit author ex P. Zallwein, qui etiam ait, Epiſcopos Galliæ his Decretalibus adhuc poſt obitum Nicolai I. reſtitiſſe, atque de his cum Hadriano II. & Joanne VIII. diſceptaſſe, tandem tantis nominibus veterum Pontificum in Concilio rhemenſi anno 992. ceſſiſſe; Nicolaum I. autem tanta contentione eas Decretales in Gallia urſiſſe teſte de Marca, ut Epiſcopos ſine medio romanæ Sedi ſubjiceret, cauſas majores &c. ad ſe traheret &c.

Nota.

Hîc optimo in compendio ſuum Syſtema tradit Febronius: ſi Ideæ, quas de vocibus, *Caput*, *Monarcha* tenet, veræ ſunt,

etiam verum erit, eum veritates naturaliter & neceſſario cohærentes dixiſſe: ſi autem falſæ ſunt, certum eſt, eum totam errorum congeriem ſcripſiſſe.

At inprimis falſam de *Capite* tenet Ideam. *Conſidero*, ait, *Papam ut Caput Eccleſiæ*: verum quid per *Caput* intelligit? anne *hoc Caput* mortuum, iners eſt, nullum ſpecialem influxum habet, nullum munus præcellens, membris non imperat, pro honore ſolum, ordine & decore iis ſuperimponitur, de cætero iisdem ſubijcitur? vel an *hoc Caput* vivum, efficax eſt, neceſſarium influxum habet, ſua munia cum Poteſtate in membra exercet, his invigilat, dirigit, imperat, utque *ſine eo* nec totum reliquum corpus omnia poſſit, *cum eo* autem omnem poteſtatem habeat, ſemperque ſit *Caput*, nunquam pes, manus, cui reliqua membra aut prævaleant, aut adæquentur?

Certe Chriſtus eſt *Caput Eccleſiæ*: hoc Caput omnem, poteſtatem, authoritatem, influxum in totum corpus & membra habet; Papa eſt autem *Caput Eccleſiæ vicarium*: igitur

tur proportionatim omnes dotes veri & principalis Capitis habere debet; ad quid enim vicarium eſſet, ſi nullos actus veri Capitis exercere poſſet, ſi nullam inde authoritatem, quæ Capiti debetur, mutuaret?

Febronius huic Capiti neque eam Ideam impertit, quam vox *Caput* gramaticaliter, naturaliter, & moraliter ſonat; nam Cap. I. §. 6. *hoc Caput* univerſitati & omnibus membris ſubjicit: §. 7. cæteris Epiſcopis facit æquale; Cap. II. ſalvat quidem *in hoc Capite* Primatum, ſed talem, qui non niſi *ſollicitudinem ſuo Miniſterio convenientem expleat.* §. 6. eſt quidem *tutor & vindex Canonum*, ſed ſic, ut non ſuo, ſed *nomine univerſalis Eccleſiæ leges proponere* valeat, *ferre* non poſſit. §. 7. & 8. eſt *Caput non tam Jurisdictionis, quam ordinis & aonſociationis*, nempe ut ſit *primum membrum*, non tamen habeat officium & authoritatem Capitis. §. 11. Febronius omnes Epiſcopos facit æquales Poteſtate, & in tota Eccleſia univerſales ita, ut quæ Epiſcopus romanus *extra fines ſuæ Diœceſeos & Patriarchatus* geſſit, ne quidem *vi univerſalis Primatus*

tus egiſſe, *ſua authoritate perfeciſſe*, aut *ſpecialiorem Jurisdictionem ſupponere*, cenſendum ſit.

Cap. III. §. 1. 2. &c. & tandem §. 6. Papam *Caput* Eccleſiæ ita facit, & explicat, ut non niſi primum membrum, & quidem Corpori ſubjectum, quod dein per poſteriora Capita tanquam pro principio tenet. Quid eſt igitur *illud Caput Eccleſiæ* ſine vita, ſine vigore, ſine efficacia, ſine influxu cum effectu, ſine Imperio ? ait alibi, Papam eſſe Caput ſolum *ſecundum metaphoram* : ita eſt; ſed & Eccleſia ſolum corpus eſt *ſecundum metaphoram* : hanc metaphoram exhibet D. Paulus Epiſt. ad Rom. Cap. 12. Verum in hoc corpore, ait, *non omnia membra eundem actum habent* : Caput non habet officium alterius membri, ſed caput eſt, & viciſſim. Item aliud eſt *caput* improprie dictum, quod ab ipſis membris conſtituitur, & ab his authoritatem proportionatim, atque pro arbitrio recipit: aliud Caput, quod ab altiori poteſtate membris præficitur, & ab his nihil recipit; huic membra nihil demere, non ſupra hoc ſe

ex-

extollere, neque ſibi ſubjicere poſſunt: poſterioris hujus conditionis eſt *Caput Eccleſiæ*, & Febronius falſam de hoc Capite Ideam tenet.

Conſidero Papam non ut Monarcham, ait: ſed quis hoc poſtulat? nemo certe. Et ſi regimen Eccleſiæ monarchicum dicimus, illud adhuc explicatione temperamus, ut Idea abſoluti Monarchæ Papæ haud conveniat. juxta Febronium *Monarcha* talis eſt, *penes quem jus & authoritas per ſe univerſam Eccleſiam & ſingula ejus membra regendi, & pro exercitio ſacri hujus Imperii Epiſcopis partem ſuæ Poteſtatis pro arbitrio communicandi, tollendique reſideat.* Hæc Idea *abſoluti Monarchæ* eſt; at reſpective ad Papam adplicata iterum falſa eſt. Quis enim dicit, hunc *abſolutum monarcham* eſſe in Eccleſia? ipſe non *per ſe* & *propria authoritate* regit, ſed *vicaria* Chriſti, ideoque ad leges præſtabilitas, eique traditas à Chriſto, ſuam poteſtatem non *pro arbitrio* communicat, tollitque, ſed pro bono & neceſſitate Eccleſiæ ad adminiſtrationem ſibi commiſſæ, id eſt, non poteſt omnia, quæ vult, & quæ

lubent:

lubent: poteſt tamen omnia, quæ pro ædificatione, ordine, & bono Eccleſiæ vel univerſæ, vel ſingulorum membrorum ſunt neceſſaria aut utilia, & in hunc finem, in his exigentiis Poteſtas Epiſcoporum, etſi à primario & abſoluto Monarcha Chriſto deſcendat, nihillominus eſt reſtricta, limitata, dependens, ſecus unitas & ordo ſervari non poſſet.

Si in hunc ſenſum non omnes Curialiſtæ loquuntur, ſi aliqui Papam dicunt abſolutum monarcham, dominum, nullo jure aut lege ligari &c. quamvis ſors per id ſolum intelligant, quod Poteſtas Papæ, etſi non recte agat, in terris nemini ſit ſubiecta, dependens, nec ab aliquo iudicari poſſit, quod & nos dicimus: attamen illis privatorum doctorum ſententiis, præſertim in ſenſu illo exorbitante nos neutiquam ſubſcribimus, nec omnes Itali, minus alii defendunt; videmus enim, communius Regimen Eccleſiæ ab authoribus *non abſolute & ſimpliciter monarchicum*, ab aliis *Ariſtocratiâ temperatum* dici: & quando aliqui *pure & ſimpliciter* monarchicum

dicunt,

dicunt, uti Cardinalis de Luca, ii vocem *Monarchia* non in tam latiori ſenſu intelligunt, ut Poteſtas Papæ ſit arbitraria, illimitata, nullis legibus & regulis reſtricta, quod nunquam poſſit ea abuti, ſic ut ſit quaſi tyrannica; quis enim unquam Papam dixit impeccabilem? ſed tantum volunt, quod eius poteſtas non ſit ab Eccleſia, neque Eccleſiæ ſubiecta, aut in eius exercitio ab ea dependeat.

Multum intereſt ergo, quid ſub nomine *Monarchæ* intelligatur: debuiſſet Febronius non exorbitantes & minus explicatas ſententias, quæ ab aliis iam diu antea impugnatæ fuerunt, ſed communiorem & receptam ſententiam reſpicere: illæ quidem conſectaria ſunt illius doctrinæ, quod regimen Eccleſiæ ſit monarchicum, ſed ſemper adhuc in ſenſu & explicatione ab hoc dependent, quo ſenſu *Monarchia* intelligatur, & hinc peccant per nimietatem & exceſſum: at non minus exceſſu peccat in contrarium Febronius, quando ob male deducta conſectaria negat ipſum Regimen ſuo modo monarchicum, in S. ſcriptura,

tura, traditione & praxi Eccleſiæ ſtabilitum; non enim ex falſa conſequentia arguitur falſitas principii, ſicut ex vero non ſequitur falſum. Confer. Cap. I. §. 5. in Not.

Dum igitur Febronius falſis Jdeis manifeſte decertat, ſequitur, eum erraſſe, ideoque ipſo fatente, *ſcripſiſſe totam errorem congeriem.*

Sed quare Febronius in hac materia falſis jdeis *Capitis Monarchæ* decertat? quare non magis imaginem *Paſtoris* in SS. litteris clare expreſſam proponit? Rom. Pontifex, ſucceſſor Petri eſt *Paſtor* non tantum particularium Eccleſiarum, ſed univerſæ Eccleſiæ, omnium & ſingularum ovium Chriſti, *paſce oves meas: ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Jeſu Chriſto plena poteſtas tradita eſt.* Concil. florentin. *de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponitur, ut quamvis in Populo dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit &*

Chri-

Chriſtus. S. Leo I. ſerm. 3. in anniv. aſſumpt.

Hanc imaginem *Paſtoris* ſi ſibi propoſuiſſet Febronius, vidiſſet utique, quænam in Eccleſia ſit Poteſtas rom. Pontificis, quale Caput, qualis Monarcha? neque in his imaginibus vel ideis tantum aberraſſet.

Fleurio (ſi tamen ipſe diſſertationum, quæ ei adſcribuntur, author eſt) & Authoribus hiſtoriæ litter. Gall. idem, quod ſuperiori paragrapho Febronio reſpondemus. Utrum Iſidorus excuſari valeat? noſtrûm parum intereſt, qui Jurisdictionem rom. Pontificis non ex Iſidori decretalibus, ſed genuinis teſtimoniis & traditione convincenter demonſtravimus. Et falſum cum ſuis aſſeclis ſupponit Febronius, illam his tantummodo decretalibus inniti. Attamen an Iſidorus *ſtudio finxerit*, quid *finxerit*, an non ipſe potuerit decipi, vel deceptus ſit? res nondum certa atque confecta eſt. Vid. Cap. III. §. 9.

Ad 1. Parum quoque refert, unde & à quibus Iſidóri decretales primitus in varias regio-

regiones & Eccleſias introductæ fuerint? quando demonſtrari non poteſt, *Romæ* confictas, & *Româ* in alias Provincias invectas fuiſſe. Equidem Febronius hic dubitanter loquitur, utrum Hadrianus P. Capitula, quibus iam multæ tales decretales Inſperſæ erant, Ingilramo Metenſi Epiſcopo tradiderit, vel econtra Ingilramus ea Hadriano P. obtulerit? addit, *gravem ſuſpicionem eſſe*; quod *Iſidori decretales Romæ compoſitæ fuerint.* Sed ſuſpicio non eſt argumentum, neque probatio, & ex mera ſuſpicione, præcipue in re gravi, aliquem publice ſuſpectum reddere; etiam inter privatos legi Charitatis, æquitati atque honori adverſatur. Dein reminiſcatur Febronius, quod Cap. IV. §. 8. n. 6. contra Sirmondum, Harduinum & alios ait, *ex Balluzio, Dupinio, Calmet & aliis melioris notæ Criticis* illa *Capitula non Hadriano P., ſed Ingilramo merito adſcribi.*

Ad 2. Sit, quod ad decretales illas, paſſim iam receptas, provocaverit Nicolaus P. non tamen his ſolis, ſed & genuinis, nec minus ponderoſis nitebatur.

Ad 3. Si decretales Iſidori quoad nomen authorum & ætatis confictæ ſunt: ſi de cœtero ut plurimum ex ſententiis veterum Canonum, legum, SS. Patrum ex ſæculo quarto & quinto concinnatæ ſunt, tunc etiam poſteriores Canonum Collectores non tam in re ipſa, & Doctrina diſciplinæ, quam in nominis authoritate & ætate decepti ſunt. Prius teſtantur ii ipſi authores, qui falſitatem decretalium detexerunt, agnoſcuntque. Utrum vero Gratianus bene vel male conciliaverit Canones & leges, non diſquiritur, quia decretum ab ipſo, tanquam authore privato, authoritatem non habet, nec eius dicta & Canones maiorem, quam habent fontes, vel Eccleſia eis dedit.

Ad 4. Nequaquam ita. Sed quia Metropolitani & Concilia provincialia ſæpe limites ſuæ Poteſtatis excedebant, Epiſcopos & alios non raro vexabant, opprimebant, iniuſte deponebant, vel alia non recte & ſecundum Canones tractabant, ipſa Concilia provincialia diutius intermitterentur, per id factum fuit, ut *Epiſcopi ſe Metropolitanorum*

& provincialium Conciliorum jurisdictioni lubenter ſubtraherent, ideo *occaſione decretalium*, quando harum doctrinam & diſciplinam videbant ſaltem *ſententiis legum*, *Canonum*, *& SS. Patrum* quarti & quinti ſæculi conſonam eſſe, aliaque in hunc finem teſtimonia genuina adeſſe, *tantis nominibus antiquorum Pontificum* absque diſcuſſione libenter *cedentes*, *uno quaſi conſenſu*, temporum circumſtantiis id quaſi pro neceſſitate poſtulantibus, atque ut Metropolitanorum vel deſidiæ, vel ambitioni & potentiæ ſe ſubtraherent, earum *authoritatem receperunt*, ſecus quî ita fieri potuiſſet, ut totus orbis & omnes Epiſcopi tam facile, tam cito *in novum jus & diſciplinam* conſentirent? ſed etiam revera *novum jus* haud eſſe crediderunt, nec tale fuit, quando in decretalibus contenta non ſolum *in ſententiis legum*, *Canonum & SS. Patrum quarti & quinti ſæculi*, ſed in aliis quoque genuinis decretalibus legebant, quamvis tantorum nominum celebritas id ipſum, quod iam peroptabant, & recipiendi & ſequendi opportunos ſtimulos addidit. Si circumſtantias tempo-

rum

rum conſideres, decretales Iſidorianæ occaſio, non neceſſitas, non libido fuerunt.

Ad 5. Concilii tridentini tempore & bona & mala Critica nondum obtinuit, quæ poſtea & hodie invaluit. Quis malè vertat iis viris & ſummis Pontificibus, ſi tum perſpicaciores non erant, quam illa ferebant tempora? ſufficit, illos cognoviſſe, doctrinam & diſciplinam in decretalibus contentam, aliis antiquis atque certis quoque teſtimoniis inniti, à tota Eccleſia receptam, uſu, praxi firmatam & canonizatam eſſe, etiamſi circa ipſas decretales error facti interceſſiſſet.

Ad 6. Cauſa, cur Nicolaus I. decretales urgebat, non fuit, ut *cauſas maiores* ad ſe traheret, & *reſervaret*; nam ibi inter Nicolaum I. & Galliæ Epiſcopos agebatur de cauſa & depoſitione Rothadi Epiſcopi ſueſſionenſis à Concilio provinciali depoſiti & appellantis ad ſedem apoſtolicam. Sed utique in hoc decretales falſæ non erant; quippe quoad reſervationem cauſarum maiorum, præcipue circa depoſitionem Epiſcoporum

genuinæ & veteri diſciplinæ, atque certis Canonibus aut decretalibus Julii I. Innocentii I. Bonifacii I. Damaſi, Gelaſii, Concilii ſardicenſis, Alexandrini II. &c. conſonabant, hinc non ſolum fictis, ſed & veris decretalibus contra gallos Epiſcopos nitebatur Nicolaus I. dum Concilia provincialia tunc in his maiorem, quam ipſis competebat, authoritatem ſibi arrogabant, quando *pro ſuo arbitrio cauſas criminales cognoſcebant, Epiſcopos deponebant, cauſas maiores independenter à Pontifice decidebant.* Talia non licere iam Julius I. & alii Pontifices ex traditione oſtenderunt. Tandem quidquid dicat de Marca, gallicanæ Eccleſiæ antiſtites neutiquam *tantis nominibus veterum Pontificum*, quæ Iſidori decretalibus præfigebantur, ſed veritati atque aliis genuinis teſtimoniis, quibus repugnare non poterant, victi *cedebant*, & ideo etiam decretales Iſidori illis hac in parte conſentientes in cenſum ſuorum Canonum recipiebant. Quod ſi Galliæ Præſules *tantis* ſolum *nominibus ceſſerunt*, cur non ſtatim initio iisdem ceſſerunt tunc, quando Nicolaus I. eas decretales allegavit? cur tamdiu repugnarunt?

qua-

quare, ut ait Zallwein, adhuc poſt obitum Nicolai de iisdem cum Hadriano II. & Joanne VIII. diſceptarunt? ſciebant certo, eas decretales in Codice Canonum non eſſe contentas: non credebant illorum Pontificum, quibus inſcribebantur, decretales eſſe, de hoc etiam convinci non poterant; ut quid ergo ceſſerunt? niſi quia convincebantur, eandem diſciplinam & doctrinam, quæ in his decretalibus continebatur, etiam in aliis genuinis teſtimoniis & Canonibus reperiri, proin quæ ſibi arrogabant, non *Jura*, ſed potius attentata & uſurpationes eſſe.

§. III.

Fraus Iſidori facilem Romæ acceſſum invenit.

Sed neque ab initio potuit, neque etiamnum valet eius Curiæ patrocinari.

Sic ferente humanæ infirmitatis conditione ante falſas decretales pontificia authoritas ægre intra ſuos fines continebatur. Eo iam ævo romana Sedes de ſtudio augendæ poteſtatis ſuæ incuſabatur, nempe in Victore I. Stephano I. Innocentio I. Bonifacio

 I. Cœ-

I. Cœleſtino, Leone M., Gelaſio, Gregorio M. Sæculo quarto liberius P. Epiſtolâ ad Imp. Conſtantium pronuntiat: *nunquam mea ſtatuta, ſed apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita, perfeci; ſecutus morem, ordinemque Majorum nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ nihil minus paſſus ſum.*

Inſuper romani delicatas aures habent, ut ægre audirent de abuſu & exceſſu poteſtatis bona mente loquentes; nam Auxiliarius Præfectus urbis Romæ Epiſt. ad Hilar. Arelat. ait: *aures romanorum quadam teneritudine plus trahuntur.* Hinc mirum non eſt, quod homines vel ambitioſi, vel avari, vel ſuperſtitioſi falſorum documentorum efformatione his exceſſibus colorem quæſierunt. Obſervant eruditi, omnes ſpurios textus pro rom. Pontifice, nullum pro Epiſcopis fabricatos eſſe. Huiusmodi tamen corruptelarum ſummi Pontifices vel artifices, vel participes non ſunt.

1. Gibert ait, ignorari principium tantæ fraudis, ut authoritas primi Prælati ſupra ruinam poteſtatis cœterorum ad faſtigium

eve-

eveheretur, an ambitio, avaritia, ſpurius Zelus fuerit?

2. Ait ulterius, qualiſcunque cauſa fuerit, illud propoſitum ſemper ſceleſtiſſimum eſſe: *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

3. Murmurabunt Catholici, applaudent Sectarii, quod rom. Pontifices, maxime Leo M. mali ambitus, alienique juris imminuti notari videantur. Utrisque ſatisfacit Caſaubonus Exercitat. 15. ad Annal. Eccles. Baronii, qui ait, ſtudium Leonis M:, ut Sedes romana in maius extenderetur, à bono principio fuiſſe profectum, & finem optimum ſpectaſſe, quia illis temporibus hæreticis ſe opponere, & bonam cauſam adiuvare nemo magis poſſet, præter romanum Pontificem.

Nota.

Hiſteron, proteron! nihil docet, nihil ſolide probat, accuſat, excuſat Author, criterio carere videtur. Ergo iam Sæculo II. & III. in victore & Stephano, dein in reli-

quis Sedes romana ambitus, exceſſus, uſurpationis accuſatur. Omnes hi Pontifices errarunt igitur: Epiſcopi obſiſtentes non errarunt. Sed quid iam à primis ſæculis genuinum & certum ab hac ſede tenemus, quæ tamen veræ traditionis divinæ & apoſtolicæ depoſitaria eſt? quomodo Liberius P. Sæculo IV. vere dicere potuit, *ſe ſecutum ordinem Majorum nihil addidiſſe Epiſcopatui urbis Romæ*, ſi iam victor, ſi Stephanus antea addiderunt? ſed prætenſa argumenta, quæ illis ſanctiſſimis & antiquiſſimis Pontificibus non ſine calumnia adſcribit Author, ſuis locis iam exploſimus.

Si Auxiliarius Præfectus homo laicus S. Leoni M. propitius non fuit, aut minus bene de eo ſenſit, num ideo Leo certo erravit, & reus eſt? Si facta & decreta illorum ſanctorum & veterum Pontificum, revera exceſſus, & uſurpationes non fuerunt, ſicut Febronius cum aliis malevolis hominibus prætendit, attamen id omnes ſimul probare non poſſunt, & quorum tota authoritas in eo conſiſtit, ut unus alterum alleget, tunc

nec

nec ratio, nec neceſſitas fuit, iisdem prætenſis, & adhuc non probatis, imo falſis *exceſſibus colorem quærere efformatione & adinventione falſorum documentorum.*

In vanum igitur laborat Gibertus, cuinam ex tribus vitiis, an ambitioni, avaritiæ, vel ſpurio Zelo tantam fraudem debeat adſcribere? ſi nihil iniuſte ablatum & uſurpatum fuit, ne ſollicitus ſit de remiſſione peccati, atque Febronius, Gibert, & alii non debent illud nunc pro certo ſupponere, quod congruis argumentis & convincenter probare non potuerunt.

Caſaubonus nobis ſatisfacit, Febronio neutiquam, ſed hunc magis confundit: ait enim ulterius ille Author: *operâ romanorum Pontificum per multa ſæcula Deum eſſe uſum in conſervandâ ſartâ tectâ fidei doctrinâ*, ideo *Leonem M. modis omnibus procuraſſe, ut paratum illi ſemper eſſet in Sede romana præſidium firmiſſimum. Sic Eccleſiæ Dei expedire, optimus quisque tum credebat, & erat ita revera illis temporibus.* An non idem dici poteſt, & debet de aliis anterioribus & poſteribus rom.

 Pon-

Pontificibus, quos Febronius cum Leone M. ambitionis, uſurpationis, exceſſus accuſat? diſcat ſaltem ex Caſaubono Acatholico erga veteres ſummos Pontifices modeſtiam & veritatem.

§. IV.

Non adeo falſæ Decretales genuina Eccleſiæ Jura obſcurarunt, quin ſubinde perrumperet veritas, præſertim tempore Concilii Viennenſis & Conſtantienſis.

Quamvis romana Curia ſub præſidio Iſidori & Gratiani ſua jura primatialia in quamdam *Monarchiæ* ſpeciem efferret, non tamen doctrina *de vero ſtatu Eccleſiæ*, de finibus Poteſtatis pontificiæ, de Superioritate Conciliorum, de jure Papam in fide & diſciplina corrigendi, fuit penitus extincta: Patres conſtantienſes eam non in ipſa Urbe conſtantienſi hauſerant, ſed ex Scriptis Patrum, actis Conciliorum acceptam è ſuis reſpective Diœceſibus ad Synodum attullerunt. Teſte Natali Alexandro quæſtio de Superioritate Concilii ab annis quatraginta jam fuerat examinata & diſcuſſa Pariſiis, Avenione, Romæ, Piſis in Concilio generali: quamquam

quàm

quàm ob fictas decretales non noſcerentur exactæ fines pontificiæ Poteſtatis, non ignorabatur tamen à prudentioribus, eam Eccleſiæ & Synodo generali eſſe ſubordinatam. Nunc cum hæc plena in Luce ſunt, & falſitas Iſidoriana in omnium oculis verſatur, ſupereſt, ut penitus pellantur præjudicia, ut tandem falſum cedat vero, ſicut in *cauſa*, ita & in *effectu*.

1. Sæculo IX. Hincmarus Rhemenſis, Sæculo X. Arnoldus II. Aurelianenſis & Gerbertus, poſtea Sylveſter II., ſubdiditiarum Decretalium pugnam cum genuino ſacro jure adverterunt, ſed defectu Artis criticæ non potuit vincere veritas.

2. Gerſon in publica oratione, nemine reclamante, anno 1415. habita, contrariam ſententiam vocat *monſtruoſum*, *horrendumque offendiculum*, quod fallax & ſubdola adulatio ad libidinem dominandi fovebat, poſitum per *multos*, non *per omnes*, *dudum* à ſuo Magiſtro confutatum, *juribus ſuis poſitivis* innixum, *Libido dominandi Eccleſiæ deſtructrix*, *quæ non relinqueret viam reductioni ſeu paci.*

3. In

3. In altera oratione anno 1417. habita laudat decretum Concilii conſtantienſis, cui non licet obniti, in diſputationem aſſumere, ſecus quis caderet in hæreſin jam damnatam, quam nullus unquam Theologus, maxime pariſienſis & ſanctus aſſeruit.

4. Gloſſa & Doctores in hac materia ante Concilium conſtantienſe ſæpe vacillabant, modo unum, modo aliud dicebant; ſed Eccleſia univerſalis Conſtantiæ congregata difinivit hunc paſſum. Ita Concil. baſil. Epiſt. Synod. apud Labb. tom. 13. Concil. pag. 693.

5. In Concilio viennenſi ad petitionem Clementis V. unus Epiſcopus Galliæ obtulit Commentarium, in quo improbantur reſervationes, exſpectativæ beneficiorum, diſpenſationes ſuper eorum pluralitate & ætate, neglectus Reſidentiæ apud Curiales, exemptiones Sæcularium & Regularium, ſuadetur reformatio in Capite & membris.

6. Alter Durandus Mimatenſis præter illa de Juriſdictione Epiſcoporum divina, exten-

tenſione, invaſione Poteſtatis papalis, vigore Conciliorum provincialium, Simoniâ, reformatione Curiæ romanæ, de informi ſcientias tradendi methodo tractat &c.

7. Eadem erant ſuſpiria & vota Patrum conſtantienſium & baſileenſium, etſi mala ſtudia Iſidoriana ipſis æque incognita eſſent. Quid hodie detecto falſo deſideramus amplius? iniquus merito habeatur, & in Eccleſiam Dei ſumme injurius, qui ſancta hæc deſideria damnaverit.

Nota.

Vidimus jam ſæpe, non Iſidori Decretales, ſed illorum temporum circumſtantias & neceſſitates latius explicandæ genuinæ pontificiæPoteſtatis (quæ iam præexiſtebat) & mutandæ diſciplinæ cauſam dediſſe, quamvis illæ Decretales fors occaſionem præbuerint, quod res facilius ſucceſſerit. Sibi contradicit, falſumque dicit Febronius, Patres conſtantienſes doctrinam de vero Statu Eccleſiæ, de ſuperioritate Concilii generalis, de jure corrigendi Papam ex Scriptis Patrum, ex actis Concilio-

ciliorum Conſtantiam ad Synodum attuliſſe, non ibi hauſiſſe. Nam Patres in illis Decretis ne verbô quidem de aliis Conciliis vel Patribus mentionem faciunt, quod certe feciſſent, & in illa contradictione facere debuiſſent, ſi alicubi clare inveniſſent, ſicut tamen alia Concilia in definitione alicujus rei magni momenti non tacent, ſed provocant ad tales authoritates & teſtimonia, ut ſe traditionis authoritatem ſequi oſtendant. Et quid audiebatur tum in Concilio, quando de hac materia diſputatum fuit? an traditio, Concilia, Patres? Legantur ſcripta Cardinalis Alliacenſis, Gerſonis, & dein Cardinalis Juliani atque Baſileenſium, item placita quarumdam Academiarum eo tempore, & vix invenies, niſi diſputationes, ſubtilitates dialecticas, paralogismos, & impertinentes inde conſecutiones atque conſectaria. his illa doctrina & definitio ſuperſtruebatur, vel defendebatur. Gerſon ultro fatetur, ſi quis *antea Concilium conſtancienſe* doctrinam de ſuperioritate Concilii docuiſſet, *de hæreſi* fuiſſet *notatus vel damnatus*, etiam *poſt Concilium* reperiri, qui contrarium defen-

ſenderent, *in Concilio* autem quot, qualesque contradixerint, notum eſt. Quî igitur dici poteſt, Patres Conſtantiæ eam doctrinam non hauſiſſe, ſed ex Patribus & Conciliis acceptam attuliſſe? quid etiam hodie pro hac doctrina ſolidum & clarum ex traditione adverſarii afferre poſſunt, niſi ſolum Concilia conſtantienſe atque baſileenſe, & ideo omne ſtudium in id convertunt, ut authoritatem hisce Conciliis & Decretis concilient, defendantque?

Ignorabuntur ergo à prudentioribus doctrina Febronii, nempe Poteſtatem pontificiam Concilio generali ſubordinatam eſſe: & ſi Iſidori Decretales *in cauſa* non ſunt, ſi *doctrinam* falſam non continent, ſi *diſciplina*, quam proferunt, libere ab Eccleſia mutari poteſt, ſi ea etiam nunc ab univerſa Eccleſia recepta eſt, ſi poſt detectam falſitatem decretalium eandem diſciplinam tenuit, & adhuc tenet, uti hæc omnia alibi ſæpe jam demonſtravimus, tunc hac ipſa ſua receptione, uſu, praxi commonſtrat, in hoc erratum non fuiſſe, iſta mera *præjudicia* non eſſe, falſi-

falſitatem *in cauſa* non fuiſſe, neque obeſſe, potius contrariam ſententiam temerariam, periculoſam, falſam eſſe, ſicque *in effectu* nihil mutari debere.

Ad 1. Jam diximus: etſi decretales Iſidori falſæ eſſent, Hincmaro & aliis nihilominus ex genuina authoritate oſtenſum fuit, eam doctrinam & diſciplinam nec malam nec falſam eſſe; imo tum neceſſariam fuiſſe, vel ſola Hincmari ipſius facta demonſtrant, nempe ob varias ſimultates, violentias, depravationes quorumdam Metropolitanorum & Conciliorum provincialium, quæ illis temporibus non infrequenter contingebant: ob præpotentiam & invaſiones Magnatum & Laicorum, ob continua Bella, ob deſidiam Metropolitanorum vel Epiſcoporum, quibus omnibus Concilia provincialia vel perturbabantur, vel impediebantur, ut illa rarius cogerentur, aut omnino intermitterentur.

Ad 2. *&* 3. Si in ipſa oratione reclamavit nemo, reclamaverunt tamen ante & poſtea plurimi contra Concilii decreta & Gerſonii ſententias. Quod addit Gerſon, nullum unquam

quam *Theologum*, maxime *Pariſienſem*, & *Sanctum* contrariam aſſeruiſſe ſententiam, oppido falſum eſt, ſibi manifeſte contradicit, quando ipſe fatetur, ante Concilium conſtantienſe de hæreſi fuiſſe ſuſpectum, vel damnatum, qui eam ſententiam de ſuperioritate Concilii docuiſſet. Vid. noſtram Diſſert. ad Cap. VI. de Concil. conſtant.

Ad 4. Ex hoc iterum falſitatis convincitur Gerſon, ſi Gloſſa & Doctores ante Concilium conſtantienſe in hac materia ſæpe vacillabant teſtante ipſo Concilio baſileenſi: quomodo Febronius ex his teſtimoniis probare valet, Patres conſtantienſes illam Doctrinam tanquam veram & certam iam Conſtantiam detuliſſe, dum illa magis contrarium perſuadent? veritas ſibi nunquam contradicit, ſemper ſui ſimillima eſt; ſed Febronius ſæpe in ſua Doctrina, & ſuis teſtibus falſus deprehenditur. Quin & Concilium baſileenſe in ſua citata Epiſtola non minus à vero aberravit: Concilium conſtantienſe, quando definivit hunc paſſum, certo *Eccleſiæ univerſalis* nondum erat repræſentatione, &

ſi his terminis revera definivit, ſaltem non in ſenſu baſileenſium definiit. Vid. cit. diſſertat.

Ad 5. & 6. Iſidori decretales talia non docent, aut probant; neque ibi de his, aut de poteſtate ſummi Pontificis, ſed de exceſſibus, abuſibus, vel etiam de ſequelis & conſectariis, quæ à quibusdam male ex decretalibus deducebantur, ſermo fuit. Verum non exiſtimes, idcirco etiam principia falſa eſſe, vel ipſam poteſtatem negari. Etiam Concilia provincialia ſæpe ſuam poteſtatem ultra ſuos limites extenderunt, vel alias eâ abutebantur, & ideo ab altiori poteſtate moderari & corrigi debuerunt, & tamen illa certo poteſtatem ſuam ab Eccleſia, adeoque variabilem acceperunt, ſummus Pontifex vero immutabilem à Chriſto.

Ad 7. Deſideria & vota ex moderato & iuſto Zelo profecta pro bono Eccleſiæ contra veros abuſus, & exceſſus æqua eſt iuſta ſunt. *Iniquus autem merito* habeatur, qui per ſua deſideria phariſaica ſub ſpecie & obtentu boni ordinem Eccleſiæ turbat, falſa miſcet

veris,

veris, jura fundamentalia divini Primatus ſubvertit, talis merito damnandus eſt.

§. V.

Eccleſia Romana ex ſuppoſitiis decretalibus maxima commoda percepit, quibus, veritate nunc detecta, ſalvo jure gaudere non poteſt.

Romani aſſerunt, ſe iſidorianis documentis ad ſuſtinendas ſuas prætenſiones non indigere, ex quo ſua illimitata jura etiam per legitima inſtrumenta ſufficienter ſtabilita inveniantur. Verum ſatis ſuperque probatum eſt, romanos Pontifices illis Privilegiis ante Sæculum VIII. gaviſos non eſſe, & cum ii, qui de his ſtudio egerunt, aut eorum juſtitiam aliis perſuadere conati ſunt, plerumque ſpuria illa documenta laudarint, nec adhuc alia idonea proferre poſſint, quibus abunde reſpondere & ſatisfieri non valeat, ſicuti à nobis reapſe ſatisfactum putamus: ſic acta ſuper his Privilegiis poſtea conſcripta authoritatem, qua primitus caruerunt, ex *uſu* & *confirmatione* à ſubſequentibus ſive *Pontificibus*, ſive *Conciliis etiam generalibus* accipere minime potuerunt; quamdiu enim incog-

 nita

nita fuit ſuppoſitio, nullam ſubſequens uſus authoritatem tribuere valuit. Qui ſe his Canonibus ſubmiſêre, id propter Reverentiam ſanctorum Pontificum & Martyrum fecerunt, aliud facturi, ſi fraudem, eiusque principia, iniquitatem, præiudicium ſibi & Eccleſiæ illatum cognoviſſent. Si uſus poſt detectam fraudem inchoaſſet, aut tempore memoriam hominum excedente poſt fraudis notitiam perſeveraſſet, requireretur adhuc, ut partes læſæ facultatem & libertatem habuerint, jus ſuum perſequendi & recuperandi.

1. Latuit Iſidori dolus fere uſque ad finem ſæculi XVI., ubi unanimi calculo falſum repudiatum fuit à Baronio, Bellarmino, Perronio, Contio, Antonio Auguſtino, Sirmondo, Ducæo, Petavio, Marca, Labbeo & aliis.

2. Papebrochius in Propilæo Menſis May de his decretalibus ait, romanos Pontifices nihil approbaſſe *à fide & moribus Eccleſiæ* abhorrens, in eo tamen, quod *facti* erat & *hiſtoriæ*, omnino erraſſe, ſed citra culpam. Sed patietur Papebrochius à Juris

Con-

Conſulto addi, illos non minus erraſſe *in Jure & diſciplina*: error vero iam cognitus non poteſt amplius pro jure allegari.

3. Excuſant Iſidorum, quod eius decretales ſaltem Hyeronimi, Auguſtini, Leonis, Theodoſii, Juſtiniani laciniis refertæ appareant, conſequenter ex horum ſaltem nomine authoritatem obtineant. Sed male conſuit has lacinias Iſidorus, ut in ſuis fontibus alium plane ſenſum teneant; dein ut ait Petrus Couſtant, non contentus, *vera cum falſis permiſcuiſſe, vera ipſa, quod gravioris flagitii eſt, partim interpolando, partim augendo, minuendove fœdavit.* Tandem Sæculis quarto, quinto, ſexto rom. Pontificibus ab Eccleſia tacite, vel à Conciliis expreſſe in reverentiam primæ Sedis attributa, uti de appellationibus in Concilio ſardicenſi, ſi ponantur in ore Sixti II. P. integro ante Synodum ſardicenſem Sæculo, aliam plane vim habent, quando è contrario Patres ſardicenſes novum aliquod Privilegiis ſummæ ſedis adjectum volebant.

4. Alias fors minoris doli noxas recenſet Antonius Auguſtinus *lib. 1. Dial.* 1. *de emendat. Gratiani*, nempe errores in nominibus hominum, urbium Provinciarum, Collegiorum &c. in inſcriptionibus Pontificum, quæ Conciliorum ſunt, multa Patrum verba eſſe dicuntur, quæ nuſpiam extant, aut aliena ſunt; quæ inſcriptiones veras habent, non recte referunt, ſæpe contrariæ ſententiæ referuntur, ſæpe valde præciſæ, ſimiliter quæ ex græcis fontibus manant, ac ſæpe aliud græce, aliud latine ſignificant.

Quamvis in emendatione Gratiani authoritate Gregorii XIII. procuratâ plura horum vitiorum (certe non omnia) in poſterioribus editionibus ſublata ſint, tamen eorundem effectus in his perſiſtit, quod Præſules & Populi erroneorum titulorum textuum, ſententiarum authoritate deluſi, circa Eccleſiæ jura & ſtatum in transverſum acti fuerint.

5. Quando Papebrochius ait cit. loc., multas Epiſtolas Pontificum falſis nominibus inſcriptas diu illuſiſſe chriſtiano Orbi, eccleſia-

ſiaſtici Juris compilatoribus, Pontificibus, Conciliis generalibus & particularibus, concluditur, ne ipſum quidem Concilium tridentinum pro ſuſtinendo in Eccleſia ſtatu monarchico, ejusque ſequelis allegari poſſe, & quoad hoc ſecundum Regulam Auguſtini à ſubſequentibus Conciliis generalibus emendari poſſe.

6. Natalis Alexander diſſert. 21. in ſæcul. I. ait, ante annum 830. nulla ante Siricium P. decretalium memoria aut fama fuit. Tot Sæculorum ſilentium, cum demonſtratione ſuppoſitionis coniunctum, poſteriorum temporum teſtimoniis anteponendum eſt. Si poſteriora Concilia iuxta Auguſtinum jus habent corrigendi priora, non mirum, quod viri huius ſæculi doctiſſimi in rebus criticis emendent Concilia & Authores, qui poſt ſæculum octavum floruerunt, decretales prius ignotas laudantes, nec recentem nothorum fætuum animadvertentes natalem.

 Nota.

Nota.

Idem cum Romanis & nos aſſerimus. De Poteſtate Pontificis ſermo eſt, quàm à Sæculo octavo usque exercuit: hanc in quolibet *Juris* puncto demonſtravimus etiam ſine decretalibus Iſidori, fuitque, etſi hæ decretales non extitiſſent. Patiatur ergo Febronius, noſtra poſtulata non jam *prætenſiones*; ſed *jura* nominare, non quidem *illimitata*, ſed à Chriſto data, ordinata, & ad conſervandam unitatem, ordinemque neceſſaria. Porro negamus, rom. Pontifices ante Sæculum VIII. illis privilegiis nunquam (quamquam rarius) uſos; ſeu gaviſos fuiſſe: id data occaſione Cap. II. III. IV. V. ſemper oſtendimus, atque in hoc Febronium plene confudimus. Et ſi id nunquam factum fuiſſet, tunc cauſa & neceſſitas defuit, non autem defectui poteſtatis in Primate Eccleſiæ tribuendum fuiſſet, quia nempe jugis diſciplina, bonus ordo ab inferioribus Paſtoribus tam ſollicite curabatur, ut primus Paſtor neceſſe non habuerit, ſe iis nego-

negotiis immiſcendi, vel ſuam authoritatem interponendi, utendique.

Si poſt Sæculum octavum pro his privilegiis pontificii Primatus ſpuria inſtrumenta ſunt allata; eo quod hæc genuina eſſe crederentur, non ſequitur, alia vera defuiſſe; talia à Victore I., Stephano I., Julio I., Innocentio I. Bonifacio, Zoſimo, Cœleſtino, Leone M, Gelaſio &c. multa extant; hæc & ſimilia nec idonea, nec ſufficientia eſſe, ſalſo ſibi perſuadet Febronius. Quid enim reſpondit? qualiter ſatisfecit? noviter inventis à Dupinio, Launojo, Mainbourgo, Couſtantio &c. &c. Gloſſis, interpretationibus, verborum torſionibus textus claros, dubios reddere ſtuduit, in alium longe ſenſum deflexit, in quo ad hæc usque tempora illos nemo ſincerus, & amans veri intellexit, legitque. Nimium operoſum, ſed & ſupervacaneum foret; tot exempla proferre, quæ ſuis in locis dedimus.

Profecto ſi Febronius, uti prætendit, contrariis teſtimoniis *abunde reſpondit*, & *ſatisfecit*, dicimus econtra, nos in Notis non

jam reſponſa, ſed demonſtrationes ded e. Hinc ſequitur, *Acta ſuper his privilegiis oſt Sæculum octavum conſcripta*, quamvis ab ſidori decretalibus authoritatem non recipia it, eam tamen aliunde habere, & quia Eccl ſia potuit, atque ſufficientem cauſam habu t, illo ævo diſciplinam mutandi, in rom. Pontifice vero jam præexiſtebat Poteſtas, poſtulante neceſſitate vel utilitate talia per ſe exercendi, poſtmodum hæc diſciplina ipſo uſu, praxi ſufficienter confirmata & canonizata fuit; neque falſitas & ſuppoſitio, ſed rei æquitas & bonitas, illis temporibus magis oportuna, eidem diſciplinæ & facilem receptionem & authoritatem conciliarunt.

Reverentia ſanctorum Pontificum decretalibus præfixorum potuit aliquos ignaros ad ſubmiſſionem permovere, ſed non omnes, minus eruditiores, quia tam facile non eſt, communem conſuetudinem & diſciplinam, præcipue pluribus favorabilem, dimmittere, niſi ipſis aliunde conſtitiſſet, varios hujus diſciplinæ actus jam antea practicatos fuiſſe, etiam aliud fundamentum habere, & nunc

ſuô

ſuô ævô in illis circumſtantiis bono Eccleſiæ melius congruere, ita ut fraude Iſidori tum jam deteƈtâ nihilominus adhuc in ſuis ſententiis perſtitiſſent.

Certe gallicani Præſules tantis nominibus ſanƈtorum Pontificum non movebantur, de authenticitate decretalium dubitabant, de hac convinci non poterant, ſed aliunde perſuaderi debuerunt. Nihil ergo de læſione partium, de facultate jus ſuum perſequendi & recuperandi ſollicitus ſis.

Interim cogita Conſtitutiones & Canones apoſtolicos; hi nobis pro exemplo ſint; contra hos omnia tua argumenta produci poſſunt, quæ contra Iſidori decretales profers, & tamen nihil valebunt. Aliquis falſarius finxit, eos Apoſtolorum eſſe: poſterior critica detexit, tales non eſſe; continent autem quædam, quæ alibi nec in Conciliis, nec in SS. Patribus inveniuntur. Reverentia nominis apoſtolici magis, quam aliorum ſanƈtorum Pontificum ad receptionem potuit perſuadere; continent, & tractant de variis Capitibus diſciplinæ eccleſiaſticæ;

ſticæ; fuerunt non obſtante illa falſitate, ut plurimum recepti in Eccleſia, in Codice Canonum veteris Eccleſiæ conſcripti, à veteribus græcis & latinis citati, ac tanti æſtimati, ut inſtar Juris canonici haberentur. Quis eis tantam authoritatem dedit ? utique non fraus, non falſitas authoris, ſed Eccleſia: illa non obſtante, & jamjam detectâ antiquior Eccleſia haud redarguitur, quod *falſo jure* uſa fuerit, nec hodierna Eccleſia eos idcirco projicit, ſed veneratur: acta deſuper conſcripta (nam & Patres & Concilia ad eos quandoque provocant) propterea valorem & authoritatem non deperdunt; imo jam antiquiſſimis temporibus à multis pro Apocryphis & ſuppoſititiis habebantur; nihilominus ii, qui ſemel erant recepti, quia multa continebant utilia, in veneratione perſtabant, & niſi alia cauſa extitiſſet mutandi diſciplinam, hodierna Eccleſia eos, quos per uſum & praxin ſemel authoritate donavit, adhuc ſequeretur. Hæc proportionatim de ſuppoſititiis Decretalibus Pontificum dicenda ſunt.

Ad

Ad 1. Viri hi doctiſſimi ut plurimum etiam detecta falſitate non ita, ſicut Febronius cum Sectariis, concludunt, non ita contra Eccleſiæ diſciplinam argumentantur, non in eam aſſurgunt, peſſumdari volunt, ſed potius eam confirmant, atque ſtabiliunt.

Ad 2. Patiatur Juris Conſultus ſe corrigi à Theologo: ſi Eccleſia præciſe per Decretales & propter Decretales Iſidori novam diſciplinam recepit: ſi nullus Pontifex habet poteſtatem nova condendi diſciplinæ capita: ſi ea in Decretalibus contenta non cenſebantur, neque erant utilia: ſi nulla cauſa extitit mutandi priſtinam diſciplinam: ſi diſciplinæ poſt Decretales introductæ in nullo capite antiquius reperitur veſtigium: verbo dicam: ſi novam diſciplinam in Eccleſia & ſtatuendi, & recipiendi nulla alia cauſa fuit, quam ſola falſitas & fraus Iſidori, tunc Pontifices & ipſa Eccleſia *in Jure & diſciplina* errârunt, ſed univerſa Eccleſia ſe taliter erraſſe non agnoſcit, ſibique reſervat jus pro neceſſitate vel utilitate diſciplinam in quovis puncto mutandi, veterem abrogandi, novam condendi, recipien-

piendique, undecunque demum primitus ortum traxerit. Sic videmus, etiam in veteri Eccleſia multa diſciplinæ Capita, etiam in Conciliis ſtabilita, tandem exoleviſſe, & abrogata fuiſſe, alia noviter ſtatuta eſſe ad propoſitionem vel inſtantiam quorundam, uti patet in cauſa lapſorum &c. &c.

Ad 3. Noſtrum non eſt, Iſidorum vel Gratianum ab omnibus nævis vindicare, vel defendere, qui noſtram Doctrinam non hisce decretalibus ſuperſtruimus. Attamen notum eſt, decretum Gratiani, in quo Iſidori decretales continentur, in plurimis nunc emendatum eſſe, adeoque non amplius tot flagitia proſtare, ſicut pronuntiat Febronius, decretum Gratiani & decretales authoritatem non habent niſi *ex receptione, uſu, obſervantia, diuturna poſſeſſione*, ut ait D. Barthel. *in Proæm. ad annot. Jur. Can.* licet ergo aliquis Canon cum fonte non totus correſpondeat, tamen ab Eccleſia authoritatem habet; quippe Eccleſia in re diſciplinari authoritatem obtinet per ſe condendi Canonem, vel ut talem recipiendi, qui alibi nuſquam legitur. Nec

in

in lege aliqua anteriori vel ſancto Patre reperitur: quidni & talem, qui in aliquo Patre vel totus, vel ex parte ſolum, vel quomodocunque reperitur?

Pariter apud privatos lectores, quæ ponuntur in ore alicuius veteris Pontificis, aliam habent vim in ordine ad traditionem, quam quæ in poſterioribus ſcriptis leguntur; verum apud totam Eccleſiam ea maiorem obtinent authoritatem, quæ apud eam in uſu ſunt, & ideo multa veterum Canonum ſtatuta abolita ſunt, nova e contra ſequitur Eccleſia; priora adhuc in veneratione ſunt, poſteriora in praxi & authoritate.

Ad 4. Sufficit, Eccleſiam, eas Decretales tanquam utilia continentes recepiſſe, ſua authoritate, uſu, praxi firmâſſe: titulorum &c. illuſio tam parum officere poterit, quam illa de Canonibus & Conſtitutionibus *apoſtolicis* dictis.

Ad 5. Dum Papebrochius ait, Decretales Epiſtolas *illuſiſſe* Nicolao I., ſucceſſoribus Pontificibus, quin & Conciliis generalibus

libus ac particularibus &c.; quæritur, in in quo illuſerint? ipſe Papebrochius jam ſupra ad hoc reſpondit, nempe in re *facti & hiſtoriæ*. Quis hoc neget?

Ad 6. Nullas ante Siricium P. anteriorum Pontificum Decretales penitus extitiſſe, non ſolum non perſuadeor, ſed tales ab his veteribus romanis Epiſcopis de facto emanaſſe, probant non paucæ, quæ adhuc extant, illorum Epiſtolæ genuinæ; idque præter alia adhuc luculenter demonſtrat; quod ipſi Pontifices mox poſteriores, quin & Siricius quoque Epiſt. 5. ad Epiſcop. Africæ, atque Epiſt. ad Himerium Tarracon. ad ſtatuta & Decretales Epiſtolas anteceſſorum ſuorum provocent. Si tamen interierunt, vel ad nos non pervenerunt, non ſequitur, eas nunquam extitiſſe, vel non ipſas eſſe; quæ ab Iſidoro citantur, quamvis injuriâ temporum, malitiâ hæreticorum, deſidiâ aut ignorantiâ Copiſtarum mutilatæ, interpolatæ, corruptæ, decurtatæ &c. fuerunt. Quædam ſcripta Patrum etiam ad nos non pervenerunt, & tamen extiterunt, quædam depravata ſunt.

§. IV.

§. VI.

Non proſunt hac in parte romanis præſcriptio, Ceſſio, Poſſeſſio, conſuetudo.

Salvator Eccleſiæ præſcripſit formam Regiminis à Monarchia alienam: ab uſus contra hoc inſtitutum non potuit fundare aut efficere legitimam præſcriptionem: nemo mortalium ſibi arrogare poteſt præſcriptionem juris, aliis falſa proponendi & perſuadendi. Sed nec ceſſione, aut cuiusvis temporis Poſſeſſione Jurium epiſcopalium detruncationes legitimari queunt. Itaque agnitio veri juris eccleſiaſtici & favorabiles circumſtantiæ Eccleſiæ primævam libertatem reddere valent ſine Religionis præjudicio, ſed cum certo ejus accremento. Sic Eccleſia redderetur conformior ſpiritui Evangelii, nosque humilitati Apoſtolorum & perfectioni primorum Sæculorum magis propinquaret. Hortatur dein author, ut hæc non otioſe inſpiciantur, audiantur, ſed opere etiam impleantur.

1. Tali conſuetudini vim juris negat ipſa naturalis ratio & Spiritus Canonum, præ-

ſertim quæ contra inſtitutum Chriſti & Patrum poſt multa Sæcula in Eccleſia prodiit. Citat Demoſthenem apud Gellium, Cap. 3. & Cap. fin. X. de conſuetudine. Cap. 1. eod. tit. in 6., de Vargas, Gregorium M. & maxime illud D. Cypriani: *non eſt de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum.*

2. Scripſit Nicolaus I. ad Hincmarum Rhemenſem: *mala conſuetudo -- -- niſi citius radicitus evellatur, in Privilegiorum jus ab improbis aſſummitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumptiones non celerrime compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetua celebrari.* Ergo romana Curia ex tali conſuetudine Privilegium adſciſcere non valet.

3. Sæpius ſummi Pontifices declararunt, Privilegia Eccleſiarum, Patrum authoritate inſtituta *nulla poſſe novitate convelli*, jura Epiſcoporum, Metropolitanorum *intemerata eſſe debere*, Papam ſibimet injuriam facere, ſi fratrum ſuorum jura *infringat, perturbet*, ei permittendum non eſſe licentiam *recedendi ab Eccleſiæ Juribus.* Ergo omnia iuſtum ordinem iterum redigantur.

4. Po-

4. Poteſtas ligandi & ſolvendi Math. 18. Epiſcopis ad ſervitium & ſalutem ſuorum fidelium data eſt; at contra mandatum Chriſti, contra Evangelium, contra jus gentium, contra commoda publica chriſtiani orbis non præſcribitur; nam neglectu aut abdicatione Jurium epiſcopalium gregi fidelium & ſaluti animarum nocetur ob tardiorem cauſarum expeditionem & infinitos ſumptus.

5. Gerſon Tract. de Reform. Eccles. ait, quia jam per centum annos contra reſervationes, taxationes beneficiorum nullus Prælatorum reclamavit, ideo Papa & Cardinales dicunt, eas in vim Juris & Canonis transmiſiſſe, & præſcripſiſſe, nec poſſe Concilium generale eas immutare; quod falſum eſt. Vult, ut Prælati Eccleſiæ has rapinas, furta & Latrocinia romanæ Curiæ penitus amoveant &c.

6. Dicunt Monachi de ſuis exemptionibus: *hæc præſcriptio obedientiam non extinguit, ſed eam ab Epiſcopo ad Papam transfert.* Perinde eſt, ac ſi dicerent: *noſtra hæc præſcriptio obedientiam non extinguit; ſed à Rege*

Galliæ ad Epiſcopum romanum, vel ad Regem Hiſpaniæ, vel alium transfert. Hoc præſidio ſic dejecto ad aliud confugiunt, *non quidem ſed romanum Præſulem contra omnes Epiſcopos præſcripſiſſe.* Sic romanus Epiſcopus quoscunque fideles præſcriptione à propriorum Epiſcoporum jurisdictione eximere, & finaliter omnes Epiſcopatûs partes abrogare poſſet.

Nota.

Forma Regiminis à Chriſto inſtituta non eſt *Monarchia* in ſenſu Febronii, ſed tamen in noſtro ſenſu explicata, & qualem eſſe nos Cap. 1. & alibi demonſtravimus idoneis ex S. Scriptura argumentis, quæque falſis Iſidori decretalibus (quod iterum falſo ſupponit Febronius) nequaquam innititur. Quod ſi nomen *Monarchiæ* in noſtro ſenſu adverſario non arrideat, per me Theocratiam aſſerat. Febronius omnem ſpeciem *Monarchiæ* ab Eccleſia abeſſe vult; attamen cohærenter non loquitur. Unitatem tanquam præcipuum Eccleſiæ à Chriſto fundatæ Characterem admittit, unitatis Centrum in Primate

Petri

Petri ſucceſſore ponit : nihilominus leges unitatis rejicit, vim cohæſionis, dependentiam, ſubordinationem tollit, ordinemque perturbat. Huic *Monarchiæ* ſpeciei, quam nos aſſerimus, modernum Eccleſiæ regimen non repugnat. Non opus eſt igitur *præſcriptione*, *ceſſione*, *poſſeſſione*, *conſuetudine*, ubi *jus* jam præexiſtit, equidem à Chriſto regulatum ac moderatum, ne in abuſus & deſtructionem magis, quam ædificationem degeneret.

Porro Febronius ut plurimum ea, quæ ad Regimen interius ac ſubſtantiale pertinent, cum diſciplina exteriori commiſcet, quam non Chriſtus ipſe ordinavit, & hinc ad primævam primorum ſæculorum diſciplinam ubivis provocat, quaſi neſciat, illam ab initio, nec ſemper eandem fuiſſe, paulatim magis magisque ſuccreviſſe, modo auctam, modo variatam fuiſſe : primam recepimus, ab Apoſtolis, aliam pro diverſitate temporum à Conciliis, à ſummis Pontificibus, quandoque à Patriarchis & Primatibus. Hoc

jus, quod Eccleſia ab initio habuit, eidem nec nunc denegari poterit.

Ad 1. Febronius *de conſuetudine* loquitur ſuper falſas decretales fundata: an hoc de omnibus, quæ decretalibus contenta ſunt, intelligi debet? attamen iam diximus, ea adhuc aliis & veris fundamentis niti. Eccleſia hanc conſuetudinem à tanto tempore tenet, recepit, & praxi firmavit; an mala eſt talis conſuetudo? vel an Eccleſia non habet jus aliquam conſuetudinem recipiendi, tenendique? teſtimonia ergo, quæ contra vitioſam & malam conſuetudinem proferuntur, non ſunt ad rem. Cogitane, oportuiſſet hoc pacto non ſolos romanos Pontifices, ſed totam Eccleſiam de vitioſa & mala conſuetudine atque æconomia accuſari. Dein qua mente inter alia etiam hic decretum Gratiani allegare, auſus eſt Febronius, cum illud mox ſupra & alibi explodat, & ex Eccleſia eiectum eſſe velit? nempe hoc loco mercibus ſuis oportunum eſt, alibi non quadrat.

Ad 2. Nicolaus I. inter eos Pontifices, qui Iſidori decretales urgebant, primus eſt, de

de hoc ſæpius eum Febronius accuſat: hic vero contra illas eum adducit, laudatque. Quomodo ergo credi poteſt, Nicolaum P. *malam conſuetudinem, prævaricationes, præſumptiones* cæpiſſe, urſiſſe, qui eas tantopere improbat?

Sedes romana alia Privilegia non habet niſi à Chriſto; non ab Eccleſia, quæ ne quidem aliquid addere potuit, quod iam non habebat, uti aiunt Bonifacius I. & Gelaſius I. apud Nicolaum I. Epiſt. ad Epiſcop. Gallic. *Privilegia ſua per Petrum à Chriſto conſecuta eſt romana Eccleſia: Eccleſiæ, inquam romanæ adeo ſunt antiqua & veterata Privilegia, ut nicæna Synodus, ſicut Bonifacius Præſul apoſtolicus Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens ait, non aliquid ſupra eam auſa ſit conſtituere, cum viderit, nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri; omnia denique noverat Domini ſermone conceſſa.* Hæc igitur Privilegia nulla *præſcriptione, ceſſione, Poſſeſſione, conſuetudine* opus habent, ſed jure divino in ſede romana iam præexiſtunt.

Sed iam quænam ſunt iſta Privilegia? Dico, non ſolum illa eſſentialia Primatus, ſed etiam ea ipſa, quæ a Febronio vocantur adventitia, ab Eccleſia conceſſa, ab Epiſcopis ceſſa, per falſas decretales obtenta, his innixa; imo quæ ab eodem uſurpationes, rapinas, fraudes nominantur. Nunquid reſervatio cauſarum maiorum, judicia, depoſitiones Epiſcoporum, confirmationes, celebratio Conciliorum ſine authoritate aut ſcientia primæ ſedis, obedientia & ſubiectio Epiſcoporum ad illam, appellationes, & quod Judicia apoſtolica non liceat retractare, hæc omnia ad Privilegia adventitia, quin ad falſas decretales, quod inde ortum habuerint, demandantur? ſed ut alia taceam, legat Febronius ſolum mox citati Bonifacii I. Epiſtolas 4. 13. 15. item ad Epiſcopos Galliæ, Theſſaliæ &c. &c. Adde Epiſtolas Julii I. Siricii I. Innocentii I. Zoſimi &c. & illa omnia inveniet. Necquidquam valent illæ exceptiones. talia Bonifacium & alios Pontifices jure patriarchali vel metropolitico egiſſe, exegiſſe; nam hæc non ſolum præcipiunt Epiſcopis, qui proprios habebant Metropolitas,

tas,

tas, ſed etiam ubivis non illud, ſed Primatum Petri univerſalem pro fundamento & jure allegant. Confer Caput III. IV. V. in Notis. Neque quod illa omnia non ſemper & ubivis à Pontificibus exercita ſint, ſequitur, ea cum divino ejus Primatu non cohærere, & ideo adventitia eſſe. Sunt enim alia jura, quæ cum Primatu ita eſſentialiter & neceſſario cohærent, ut ſemper & ubivis ab eo exerceri debeant, nec aliis communicari, vel ab his ſuppleri poſſint; alia vero ſunt, quæ propter diſtantiam locorum, difficultatem tam multa ab uno ſimul tractandi, expediendi, aliaque impedimenta, ad rectum ordinem facilius tenendum in alios, Metropolitas nempe & Concilia provincialia, recte derivantur, & ab his exercentur. Sic primis ſæculis ab Eccleſia & Conciliis, non renitentibus, ſed probantibus Epiſcopis romanis, conſtitutum fuit adeo, ut talem obſervantiam etiam ipſi per ſuas Epiſtolas decretales & canonicas urgerent, mandarentque, quia hoc tum ad ædificationem & bonum ordinem Eccleſiæ tenendum neceſſarium videbatur. Sed ideo illa jura à Primatu univerſa-

 li,

li, & apoſtolica ſede non erant in tantum abdicata, alienata, ut ea nullo tempore, nullo loco amplius revocari, reſervari, exerceri potuerint, præcipue tum, quando neceſſitas iam aliud, poſtulabat, Concilia provincialia in multis locis variis ex cauſis intermitti cæperant, vel ſaltem rarius fiebant, Metropolitæ, & Concilia provincialia limites ſuæ Poteſtatis excedebant, non recto ordine, vel non ſecundum Canones procedebant, ſibi nimium arrogabant, ordinem magis invertebant, quam tenebant. Hinc videmus, iam primis ſex ſæculis talia quandoque ab romanis Epiſcopis exercita fuiſſe, quæ alias per Metropolitas & Concilia provincialia fiebant; & quando nonnunquam reclamabant iis iam temporibus Concilia provincialia & Metropolitæ, ſua jura & Canones obiicientes: reponebant ſummi Pontifices ſuum Primatum univerſalem, officium paſtorale in totam Eccleſiam, ſibi divinitus à Chriſto conceſſum, ſibi talia jure divino deberi, econtra illis ſolum per Canones & jure eccleſiaſtico.

Per

Per tales veterum Pontificum declarationes & teſtimonia aperte comprobatur, ea Privilegia, quæ antiquitus a rom. Pontificibus non quidem ſemper & ubivis, attamen alicubi & non ſemel exercita ſunt, atque jure Primatus ſibi vindicarunt, per ſe & in radice non eſſe mere adventitia, acceſſoria, minus ab Eccleſia conceſſa, vel ſolis falſis decretalibus innixa, ſed funditus ad Primatum pertinere. . Febronius illa vetera teſtimonia aliter eludere non valet, niſi evertendo totam authoritatem veteris traditionis, & dicendo, illos Pontifices ſanctiſſimos & antiquiſſimos erraſſe, ambitionis & uſurpationis reos eſſe.

Porro langueſcentibus multis in locis Conciliis provincialibus, dum ibi cauſæ & diſſidia non tam finiebantur, quam ſæpe augebantur, & aliæ prævaricationes intercedebant, ſummi Pontifices horum Jurium rivulos, qui non ſemper purè amplius manabant, nec agrum Eccleſiæ jugiter fæcundabant, iterum ad fontem ſui Primatus traxerunt. Ex his patet reſponſio.

Ad

Ad 3. Epiſcopis, Eccleſiis à rom. Pontificibus conſervanda ſunt omnia Jura & Privilegia exceptis iis, quæ ad Primatum pertinent, vel quando ratio aut neceſſitas poſtulat, ea prius communicata iterum ad ſe trahere. Dein edicat Febronius, quare Privilegia Eccleſiis, Epiſcopis particularibus ſolum humanitus, & Patrum atque rom. Pontificum authoritate conceſſa tam ſtudioſe & illimitatè conſervanda ſunt: non vero Privilegia romanæ Sedi, quando etiam ab Eccleſia, ut vult Febronius, eidem collata fuiſſent? cur in his ſolum vult omnia in priſtinum ſtatum reduci, non vero in illis?

Ad 4. Poteſtas ligandi & ſolvendi, præcipue quantum ad diſciplinam eccleſiaſticam attinet, in Epiſcopis non eſt illimitata, ſed reſtricta & ſubordinata Eccleſiæ, & præprimis Capiti ac Paſtori univerſali; nam ſi quivis Epiſcopus pro ſua authoritate & pro libitu poſſet diſciplinam ſtatuere, & invehere in Eccleſiam ſi nemini idcirco teneretur rationem reddere, vel legem accipere, qualis tum ordo, qualis difformitas foret in Ec-

cle-

cleſia ? igitur juxta voluntatem & mandatum Chriſti, juxta Evangelium, & commoda publica totius Eccleſiæ habent Epiſcopi hac in parte quoad diſciplinam & regimen exterius poteſtatem ligandi & ſolvendi reſtrictam atque ſubordinatam. Ut ommittamus in hunc finem teſtimonia veterum plurima & clariſſima, ſuperiori Capite & alibi ſæpius prolata, noviora ex Gallia damus, quibus Febronius non poteſt non aſſentiri. Gerſon Tract. de Stat. Eccles. Conſid. 3. ait: *Status Prælationis epiſcopalis habuit in Apoſtolis & ſucceſſoribus uſum vel exercitium ſuæ Poteſtatis ſub Petro & ſucceſſoribus ejus, tanquam ſub habente vel habentibus plenitudinem fontalem epiſcopalis authoritatis. Unde quoad talia minores Prælati ſubſunt Epiſcopis, à quibus uſus ſuæ Poteſtatis quandoque limitatur, vel arcetur, & ſic à Papa poſſe fieri circa Prælatos majores ex certis & rationabilibus cauſis, non eſt ambigendum.* Clerus gallicanus in Comitiis éxtraordinariis die 8. Maij anno 1728. de Poteſtate à Chriſto Apoſtolis data aſſerit: *at Jeſus Chriſtus ipſe ſua inſtitutione limites præſcripſit huic Poteſtati, quam ſubjecit Sedi Petri,*

tri, in qua poſuit plenitudinem apoſtolicæ Poteſtatis. Hæc ex Gallia, ubi etiam Iſidori decretales vapulant.

Ad 5. De decretalibus, Poteſtate, Jure, Privilegiis Primatus & rom. Pontificis hic ſermo non eſt, ſed de exceſſu vel abuſu; ſed nec decretales talem docent, aut probant, & de hoc ſæpius jam abunde locuti ſuimus. Attamen ſi Febronius Gerſonis calamum ſuum facere non vult, quare nihilominus ejus verba adducit? meminiſſe debet, ſe ſæpius nec minora, nec moderatiora dixiſſe.

Ad 6. Omnino inſcitè loquuntur illi Monachi, qui adducuntur pro exemptionibus *Præſcriptione* nullatenus opus eſt: habent illæ pro fundamento legitimam poteſtatem, & rationabiles cauſas. Superiori Capite vidimus, Epiſcopos multorum Monaſteriorum exemptiones libenter indulſiſſe, quandoque à Sede apoſtolica etiam flagitaſſe, alias per Principes non ſine præſcitu Epiſcoporum obtentas fuiſſe, ſæpe Monaſteria in locis, in quæ nullius Epiſcopi Juriſdictio

hucus-

hucusque extendebatur, erecta, & à fundatoribus (quod ipſis liberum erat) rom. Pontifici citra injuriam Epiſcopi oblata fuiſſe. Inſuper juſtæ quoque cauſæ erant, ut quies & diſciplina monaſtica, cujus ſæpe inexpertes, vel minus ſolliciti erant Epiſcopi, ſtrictius conſervaretur. Qui de numero Monachorum in Epiſcopatum aſſumpti fuerant (quorum olim ſemper plurimi erant) aliunde libentius ferebant hanc exemptionem: alibi ſæpe Epiſcopi Monaſteriis inhiabant, in ſpiritualibus & temporalibus gravabant, vexabant, & ideo per exemptiones neceſſe fuit, illis frænum imponere, his quietem procurare. Hæc omnia ex Annalibus, authenticis teſtimoniis & Exemptionum litteris conſtant.

Interim inſcitius adhuc loquitur noſter Juris Conſultus: anne idem eſt, *obedientiam ab Epiſcopo ad Papam*, quod reſpective idem forum eſt, & ſolum à minori ad maiorem procedit, quàm *à Galliæ Rege ad rom. Pontificem transferre*, ubi forum, quod invicem non dependet, omnino mutatur? De tali ſubtrac-

tione

tione obedientiæ reliquorum fidelium, & præſcriptione nec ſibi, nec Epiſcopis timeat; pro his enim nullæ tales cauſæ & rationes ſubſiſtunt, & Epiſcopi non poſſent non eſſe inviti rationabiliter.

§. VII.

Quæ ex nimietate Religionis obſcuris ſæculis pontificiæ authoritati adiecta fuerunt, nunc cognita genuino Jure publico eccleſiaſtico in juſtum ordinem redigenda ſunt.

Principia libertatis eccleſiaſticæ in Jure naturali, certiſſimis Chriſti oraculis, & conſtanti uſu primorum ſæculorum fundata ſunt. Ignorantia, ſimplicitas, ſuperſtitio eis nubem induxerunt. Cum Authoritas Papæ in Religione fundata ſit, nemo mirabitur, ignorantiam, fanatiſmum, debito, legitimoque reſpectui cultum ſuperſtitioſum addidiſſe; atque ita *ambitioni* immolata ſit libertas, dum credebatur ſacrificari *Religioni.* Quod circa cultum imaginum fecit Populus, idem quoque egit circa reverentiam debitam ſummo Pontifici. Scrupuloſus ſemper angitur, & tranquillitatem quærit plerumque in exceſſu.

Hodie

Hodie in magna luce orbis Catholicus adhuc ſua præiudicia deſerere nondum potens eſt. Principes, Populi, Epiſcopi, omnes eandem viam errarunt, certatim damnantes & perſequentes, qui tales errores diſſipare ſtudebant. Schiſmatis, erroris obiecta crimina, excommunicationis fulmina, minæ terruerunt, omnes, ardens deſiderium ea declinandi non permittebat examinare, iuſtusne fuerit horum malorum metus, an vanus?

1. Audivi Oratorem pro Monarchia papali hoc argumentum urgentem, comprehendi non poſſe, qualiter huic Monarchiæ omnes Reges terræ ſubiici potuerint ſine magna armorum vi. Sed ignoravit vir bonus, maiorem vim eſſe ſuperſtitionis quam fortiſſimorum armorum & exercituum.

2. Pontifices varias partes Juris Epiſcopalis in præiudium *Juris Publici* uſurparunt, facientes ſibi *Jus privatum.* Si omnia in integrum reſtituantur: ſi Epiſcopi excuſſo iugo, & ruptis catenis, tollant reſervationes aſuum, Privilegia regularium, aſſummant

 ſibi

ſibi diſpenſationes, reſignationes, Permutationes, uniones, diviſiones, erectiones novorum Epiſcopatuum, beneficiornm, confirmationes electionum &c., de cœtero romanæ Eccleſiæ relinquerent jura vigilantiæ, inſpectionis, jus ſupremæ inſtantiæ certo modo, nempe ſecundum Canones ſardicenſes, ex qua parte foret ſchiſma aut iniuſtitia, ſi ea occaſione ſe Papa ſepararet ab Epiſcopis?

3. Miramur hodie vanos terrores & ſimplicitatem Patrum noſtrorum. Non capimus, quomodo romanis Pontificibus potuerit in mentem venire, de coronis, Regnis, & Provinciis diſponere, & vix attendimus ad alias adhuc perdurantes, & infundatas Curiæ prætenſiones.

Si reges & Imperatores perrexiſſent tam eſſe creduli, uti diu fuerunt, & multi Epiſcopi adhuc ſunt, Epiſcopus Romæ hodie ſolus foret in orbe Monarcha, & Caſtellum S. Angeli non ſufficere ſervando auro, quod ex omnibus mundi partibus illò conflueret.

4. Mo-

4. Monet P. Zallwein, periculoſum eſſe, authoritati Pontificis quidquam detrahere, ſicut & eam nimium extendere, Zelum eſſe non ſecundum ſcientiam, atque errandi periculo obnoxium, & prudens dubium remanere, plusne noceant Eccleſiæ moderati defenſores Poteſtatis pontificiæ, quam illius exceſſivi vindices.

Nota.

Apertius atque ſincere loquatur nobis Febronius, quænam eſt illa libertas, quam hic intelligit? quæ ſunt *Principia* hujus libertatis? tam vagis, generalibus & indeterminatis ſententiis nobis imponere deſinat. At fallax hic ſcriptitandi methodus hodie invaluit, & guſtum movet, ſolide doctis Bilem, quandoque riſum. Quæcunque ſint illa Principia & libertas, ſaltem *unitati* & *ſubordinationi* obeſſe non debent, ità à Chriſto Domino inſtitutum fuit. Certe Febronii principia talia non ſunt. Hodie tam magna lux eſt, ut infidelitatem apertius intueamur, quæ ſcintillas rectæ fidei ubivis obnubilat. Ille reſpectum ſummo Eccleſiæ Capiti hucus-

que præſtitum ignorantiam, fanatiſmum, ambitionem, ſuperſtitionem, vocat: num in his verbis (non dicam calumnia) ſaltem exceſſus & ignorantia non eſt? illud probat exemplo de cultu imaginum, profecto egregie! ſed inſiſtamus eius exemplo ac verbis: *circa cultum Imaginum erravit Populus, ut eum ultra condignum eveheret. Bene: verum in hoc Eccleſia nunquam erravit, nec ita docuit. Circa cultum* rom. Pontificis, ait, *Principes, Populi, Epiſcopi, omnes eandem viam errarunt.* Si ita: ergo tota Eccleſia erravit, & quidem in materia fidei & Religionis; nam ipſo fatente *Authoritas Papæ in Religione* fundata eſt: cultum Papæ præſtitum, contra quem inſurgit, *ſuperſtitionem* vocat, ſed *ſuperſtitio* opponitur veræ Religioni: tandem ſæpe dixerat, contra inſtitutum Chriſti, certiſſima ejus oracula eſſe, quæ rom. Pontifici attributa ſunt. Et quot jam Sæculis ita erravit tota Eccleſia? errarunt omnes illi veteres & ſancti Pontifices, qui eam Poteſtatem ſibi aſſeruerunt, & ea exercuiſſe probantur, quæ Febronius ab eis auferri vult: erraverunt Concilia generalia, quæ talia acta & facta agnoverunt,

lua-

laudarunt, admiſſerunt, approbarunt &c.: omnes omnino erraverunt *fanatiſmo* & *ſuperſtitione*. Nec excuſari poſſunt, quod erraverint *ignorantiâ* & *in facto*, ſed erraverunt culpabiliter *in Jure*. Nam ignorantia Juris de tota Eccleſia, de Conciliis generalibus per tot Sæcula ſine manifeſta impietate nec præſummi, nec prætendi, nec dici poteſt. Si enim in his, quæ ſunt *contra inſtitutum Chriſti*, uti illa eſſe prætendi Febronius, Eccleſia ignorantiâ errare potuit, nullo modo amplius erit indefectibilis, infallibilis. Econtra bene in ejus ſenſu docuerunt, & laudandi ſunt omnes acatholici, Lutherani, Calviniſtæ &c., qui eandem poteſtatem romano Pontifici denegarunt, ad ſummum non niſi figmentum honoris & authoritatis in ſede apoſtolica relinquentes. Ecce Remedium reunionis cum diſſidentibus in Religione! Principes, Populi, Epiſcopi, Pontifices, & tota Eccleſia hactenus catholica in multis erroris, ignorantiæ, ſuperſtitionis damnanda, imo relinquenda eſt, ut tandem hæreticorum placitis aſſentiamur. Ita docent, ſcribunt &c., qui hodie Catholici eſſe volunt.

Ne hic iterum regerat, & enumeret exceſſus, & abuſus ex parte romanorum Pontificum & Curiæ: nam ſuo proprio exemplo & dictis ad hominem refellitur *in cultu Imaginum* fuit aliquando *abuſus*, *ſuperſtitio*: fuêre, qui idcirco omnem cultum ſacris imaginibus abnegabant, & ex templis locisque ſacris eiiciendas eſſe voluerunt: Concilium Nicenum II. abuſum, ſuperſtitionem damnavit, ſed & debitum imaginibus cultum probavit, reſtituitque. Pariter ad morem Iconoclaſtarum Febronius cum hodiernis pſeudo doctis ſumpto argumento ab abuſu & exceſſu legitimam Poteſtatem denegat rom. Pontifici: Eccleſia abuſus, exceſſus, qui in exercitio hujus poteſtatis contigêre, probavit nunquam: ſemper fuêre, qui reclamabant: hoc Febronius ad exaggerationem usque & ultra veritatem ipſe probavit: attamen ipſa Eccleſia eandem poteſtatem & rectum uſum nunquam damnavit, potius agnovit, & venerata eſt. Hæc nos abunde demonſtravimus. Caveant hoc tempore ſibi merito Reges ac Supremi Magiſtratus, ne ab abuſu & exceſſu ſive vero ſive falſo liceat argumentari

ri ad ipſam Poteſtatem, quæ legitima eſt: hoc argumentum, hæc principia omni Regno ac Statui periculoſiſſima ſunt, & quidem eo magis, quò plus hodie jura Suprematus ſæcularis extenduntur.

Ad 1. Hoc argumento utitur D. Auguſtinus ad probanda miracula & divinitatem Religionis chriſtianæ; ſed & ad probandum argumentum, de quo nunc diſſerimus, non minus valet. Claudius Fleurii Lib. de Morib. Chriſtian. Part. 3. §. 34. ait, primum & noviſſimum miraculum fuiſſe, videre Chriſtianos Principes & Imperatores. Tertullianus Apolog. Cap. 21. credidit, quod Imperatores diu antea chriſtianam Religionem fuiſſent amplexati, ſi ſimul Chriſtiani & Imperatores eſſe potuiſſent; in tantum Ratio Status tum videbatur adverſari veræ Religioni. Sed aliter viſum fuit Conſtantino M. & ſubſequentibus poſtea Imperatoribus chriſtianis, qui coronam cum cruce, Monarchiam temporalem cum Republica eccleſiaſtica, propria & independenti poteſtate, le-

 gibus;

gibus, Regimine fulgenti optime conjungere poterant.

Hanc Monarchiam eccleſiaſticam in tantum agnoverunt, & venerati ſunt Impe-ratores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, ut in Edicto anno 380. mandarent: *cunctos Populos in tali volumus Religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis Religio usque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum apoſtolicæ ſanctitatis. Hanc legem ſequentes Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes, veſanosque judicantes hæretici Dogmatis famam ſuſtinere, nec Conciliabula eorum Eccleſiarum nomen accipere.* Ergo ii ſoli vere Catholici habiti ſunt, qui rom. Pontifici & Eccleſiæ in Religione conſentiebant, eamque ita ſequi debebant, & omni alteri doctrinæ præhabere, ut etiam integra Concilia, rom. Pontifici in Doctrina & Religione non conſonantia, potius hæretica haberi debeant. Vides, rom. Pontifici in negotio Religionis majorem re-

veren-

verentiam & fidem deberi, quàm integris Conciliis. Juſtinianus Lib. 7. Cod. de SS. Trinit. ad Patriarch. Conſtant. ſcribit, *ſe in omnibus ſervaſſe Statum unitatis Eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo Papa veteris Romæ; non enim patimur*, inquit, *ut quidquam eorum, NB. quæ ad eccleſiaſticum ſpectant Statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem, cum ea ſit caput omnium Dei Sacerdotum, vel eo maxime, quod quoties in his locis hæretici pullularunt, ſententiâ & recto judiciô illius venerabilis Sedis coerciti ſunt.* Epiſt. 2. ad ipſum Papam Joannem ait, quod ſemper ſtuduerit, *omnes Sacerdotes univerſi Orientalis tractus apoſtolicæ Sedi romanæ & unire & ſubjicere.* Plura adhuc aliorum Imperatorum, Regum, Principum Edicta & Teſtimonia poſſent afferri, queis commonſtratur, eos in Præſule romano & apoſtolica Sede ſupremam in Eccleſiam Poteſtatem agnoviſſe, & veneratos fuiſſe. An *Fanatiſmus, ſuperſtitio* hos dementavit? an potius veteres hi Imperatores &c. de Statu, Regimine & Doctrina Eccleſiæ optime edocti nobis de illo publicum & authenticum teſtimonium reliquerunt,

runt, & traditionem Eccleſiæ publicis legibus communiverunt?

Superſtitio utique maximam vim habet, ſed omnes Principes, Reges, Epiſcopos, totam Eccleſiam per tot Sæcula & à primis usque temporibus de univerſali ſuperſtitione accuſare, plusquam fatuitas eſt, imo maxima impietas in Eccleſiam Dei. Omnes majores noſtros deſipuiſſe, ſolos hodiernos ſemi-homines & ſciolos ſapere, inter ſtultitias noſtri illuminati Sæculi merito numerari debet.

Fatetur Febronius, Principes, Populos, Epiſcopos, omnes Suprematum & Monarchiam romani Pontificis agnoviſſe, ſed ait, eos erraſſe: nos econtra aſſerimus, eo ipſo, quod à tota Eccleſia ea Pontificis Poteſtas & Monarchia agnita ſit, legitimam & veram eſſe, utique non eam, quam Febronius fingit, & deſpotica eſt, ſed quam nos ex traditione & authoritate aſſerimus. Ita concludunt, ſentiunt, loquuntur verè Catholici.

Ad 2. Reſtitutio in integrum locum non habet, ubi nullum jus læſum fuit, & ſucceſ-

ſor

ſor Petri ſuo, non alieno jure agebat. Si Epiſcopi ea omnia ad ſe trahant, vel ipſis concedantur, nihilominus non poterunt illa tenere aut exercere ſine ſubordinatione ad Primatem & Caput Eccleſiæ, in quo tanquam in radice & fonte ea jura continentur. Admittitur in Epiſcopis *Plenitudo* ordinis epiſcopalis, ſed non Poteſtatis & Jurisdictionis, quæ ſubordinata & reſtricta eſt; niſi velis, omnes Epiſcopos eſſe ſucceſſores Petri, & quemlibet æque habere Primatum in Eccleſia. Si ergo Epiſcopi Papam juribus ſuis ſpoliarent, ſubordinationem tollerent, & ille ea occaſione ſe ſepararet ab Epiſcopis, ſchiſma & iniuſtitiæ certo foret ex parte Epiſcoporum.

Ad 3. Quomodo romanis Pontificibus in animum venerit, de Coronis, Regnis & Provinciis diſponere, captum eorum tantum ſuperat, qui Statum, circumſtantias & conditiones temporum & Regnorum ignorant. Si Coronæ Imperiali officium Defenſoris & Advocati Eccleſiæ conſenſu Procerum & Nationis ita fuit annexum, ut quis tum Impe-

rator

rator nequidem eſſe poſſe credebatur, niſi eſſet ſimul Defenſor & Advocatus Eccleſiæ: ſi neo-electus id etiam juramento promittere ex ipſa Nationis voluntate, & quaſi lege præliminari tenebatur: ſi Eccleſia cogi non poteſt, admittere, vel agnoſcere ſibi inimicum, vel Religionis hoſtem, tanquam advocatum aut defenſorem: Si Nationes ipſæ in mutatione regiminis arbitrium ſummi Pontificis depoſcebant, & cauſam ſæpe ad eum deferebant: Si Regna & Provinciæ eidem in feudum ſunt oblata & recepta: ſi ipſi Reges ad impedienda diſſidia & bella diſtributionem Provinciarum in terris Ethnicis recuperandarum à rom. Pontifice expedierunt, & acceptarunt, tunc captum non ſuperat, quomodo Pontifices ſeſe his negotiis immiſcuerint. Non tamen ideo romanus Epiſcopus tum ſolus fuit Monarcha: & aurum, quod importabatur, iterum per varias vias exportabatur. Vel enim Pontifex in proprio ſuo Patrimonio & Provinciis bellis atque inſidiis ſæpe impetebatur, premebatur, ſpoliabatur; vel ab aliis in ſubſidium contra Chriſtianos bello implicitos, ſæpe contra Sarace-

racenos & Turcas &c. vocabatur, & quod una manu recepit, altera expendere cogebatur.

Ad 4. Exceſſivis Defenſoribus non eget Poteſtas pontificia, firmiſſimis monumentis aliunde & luculenter munita. Attamen Febronium & Zallwein, aliosque ſimiles inter moderatos defenſores nequaquam numeramus. Argumentum Zallwein male concludit, dum ait: *facile contingere poteſt, ut ſi Privilegium Papæ vel in unico caſu defuiſſe monſtrari valeat, tota Eccleſiæ authoritas vacillet, aut omnino corruat.* Oportuiſſet addere: *ſi defuiſſe monſtrari valeat, ubi neceſſario ſe exercere debuiſſet.* Nam ex non uſu, ſicut nec ex reſiſtentia aliquorum non ſemper probatur defectus Poteſtatis, nempe quando & quamdiu Concilia provincialia ſæpe ex voluntate & lege ipſius Pontificis atque Eccleſiæ partes talis Poteſtatis rite expleverunt, ſed ubi Concilia hac poteſtate minus recte, vel omnino non uſi ſunt, tunc ſe exercere debuit ſuprema Poteſtas.

§. VIII.

§. VIII.

Exceſſiva Poteſtas, qua Rom. Pontifex poſt falſas decretales uti cœpit, quaque hodiedum fruitur, Eccleſiæ valde noxia eſt. Eadem reunioni Eccleſiarum impedimentum ponit.

Ultramontani cultum ſuperſtitioſum Papæ reddunt & prærogativas, quas Chriſtus & Eccleſia ei non dederunt. Salus Eccleſiæ, Regnorum, Religionis & veritatis juſtum motivum ſunt ad eas repellandas, absque tamen diminutione reverentiæ debitæ. Fors veritas Proteſtantibus absque fuco & exceſſu monſtrata eis perſuadebit, illam Poteſtatem inter legitimos fines reductam, Eccleſiæ perutilem, imo neceſſariam eſſe. Fors ita ceſſabunt abuſus & corruptelæ. Richerius ait, Arianiſmum, Monotheletiſmum, ubi de ſola doctrina agebatur, trecentis annis duraſſe, ſe timere, ne Lutheri & Calvini hæreſes, quæ ex Regiminis eccleſiaſtici corruptela & morum bonorum tabe Originem & incrementa hauriunt, multo longius, latiusque procedant.

1. Ingenui aſſertores libertatis eccleſiaſticæ cum inimicis S. Sedis confunduntur: Populus ignarus facile hoc credit ex eo, quod hæretici etiam legitimam portionem ei negent. Sic favetur uſurpationibus, Principibus, Epiſcopis, Eccleſiæ legitima jura auferuntur.

2. Proteſtantium querelas aliquas adverſus Papam fuiſſe juſtas & fundatas, probavit Tridentinum per reformationem introductam, tamen ex eo hæretici non ſunt, quamvis de cætero merito culpandi, quod debitos honores & prærogativas capiti denegent, utendo etiam odioſis comparationibus &c.

3. Fatentur Proteſtantes, illas Sæculi XVI. ſciſſiones in Eccleſia nunquam orituras fuiſſe, ſi Pontifices ſtetiſſent intra fines legitimi Primatus. Citat l'Enfant Tom. IV. Lettre 5. Idem agnoſcunt Catholici Cap. VI. §. 13.

4. Declarant Proteſtantes, ſi de reliquis fidei Articulis conveniretur, & ſola Monar-

chia

chia & exorbitans Papæ Poteſtas ſuſtineri vellet, perpetuum inde Reunioni fore obſtaculum. Ita Ephemerides Gœttingenſis Academiæ Anno 1758. die 30. Martii. & 1759. die 22. Martii. Gibert Part. 1. tit. 20. ſect. 2. Propoſ. 1.

5. Teſtibus Baſnage & Chevalier Temple in Fœderato Belgio Catholici ad munia publica non admittuntur, quia recognoſcunt exterum in ſpiritualibus Monarcham, cujus authoritas ſaltem indirecte in temporalia Reipublicæ influeret. Huc pertinent Ottonis *Notitia Rerumpublicarum* Cap. 6. §. 29. Edicta Fœderati Belgii de 30. Aprilis 1641. de 14. Aprilis 1641. & 7. Maij 1720. Quod Jeſuitæ ex Anglia ejecti ſint, Hugo Grotius Hiſt. de Reb. Belg. Lib. 3. pag. 454. cauſam dat, quia docebant, rom. Pontifici jus eſſe, Populos ab alterius Sectæ Regum obſequio ſolvere. Hanc ſententiam Grotius non *romanæ Religioni*, ſed Jeſuitis & Similibus adſcribit.

6. Hæc vera eſſe negari non poteſt; ſequitur hinc, Iſidorum Mercatorem plus mali intu-

intuiſſe Eccleſiæ, quàm Hæreſiarchas ſimul omnes: hanc doctrinam perpetuum fore Reunioni impedimentum, & ſaltem occaſionem in Europa infinitarum malorum, Regna & Provincias deſolantium.

7. Fundamentalis cauſa, quare tot Pontifices pro unione Græcorum laborantes nihil ſtabile effecerint, ea fuit, quod Græci quidem Primatum Papæ, ſed non talem, qualem voluiſſent Itali, agnoverint, & quod Romani Superioritatem prætenderint *ultra Canones*. Hæc interpretatio, dum ſtabit orbis, nunquam erit acceptanda. Ergo futuri Pontifices in æternum obijcient à prædeceſſoribus ſuſcepta Reunionis Conſilia?

8. Rubeus Deciſ. rotal. Part. 9. Annot. ad Deciſ. 217. &c. ait, Pontifici curam incumbere eorum, *qui non ſapiunt, qui ſapiunt, ne deſipiant, & qui deſipuere, ut reſipiſcant*, nempe Infidelium, Catholicorum & Hæreticorum. Hæc cura triplex non implebitur, quamdiu non dimittet principium *ſuæ Monarchiæ politico ſacræ*.

9. Citat ſuum Caput III. §. 11. in hunc finem ait, Gerſonem de ſimilibus pronuntiare, ſi intra mille & ultra annos talia fuiſſent attentata, nemo niſi reprobus ad fidem catholicam veriſimiliter converti potuiſſet.

10. Citat Caput ſuum VI. §. 13. inde concludit, recte dixiſſe Cardinalem de Alliaco in Concilio conſtant., hæreſes Huſſitarum, Waldenſium, Wicleffiſtarum nunquam eradicari poſſe, niſi romana Curia ad veteres ſuos mores & laudabiles conſuetudines reducatur, & quod à Capite edenda ſit ratio. Item idem in oratione in Synodo anno 1417. habita: *ſi unionis pacem quærimus Reformationis juſtitiam proſequamur &c. &c.*

11. Andreas Magorenſis Part. III. *in Gubernaculo Conciliorum* vaticinatus eſt, quod fides Chriſti & obedientia rom. Eccleſiæ in tribus mundi partibus usque ad diem judicii perdita, etiam in Europa ante hunc diem ſit perdenda, *niſi ſuper eam fiat Reformatio*, item multum dolet, quod multi zeloſi *à Prælatis Superioribus & Dominis iſtius apoſtolicæ Sedis & romanæ Eccleſiæ* turbantur, deſpiciuntur,

con-

confunduntur, non curantur, non ad Beneficia & Regimen promoventur &c. &c. Addit Febronius, hoc factum eſſe Prælatis galliæ ſecundi ordinis, declarationi Cleri Gallicani anno 1682. ſubſcribentibus, quibus Innocentius XI. ad Epiſcopatus Bullas negavit.

12. Idem Magorenſis ſuſpirat ad avertendam Eccleſiæ ruinam pro neceſſitate & frequentia Conciliorum generalium, præcipue ne diſſolvatur baſileenſe Concilium absque Reformatione Eccleſiæ apoſtolicæ in Capite & membris &c.

13. *Fidei* & *morum* dogmata ex eodem fonte fluunt, ſunt divina & invariabilia: ſanctitas doctrinæ moralis potiſſimum olim Paganos ad noſtram Religionem traxit: viciſſim deſpectus & neglectus canonicorum & moralium præceptorum in Principibus Eccleſiæ quoad gubernationem Eccleſiæ Acatholicis occaſionem dedit catholicam Religionem arrodendi.

14. Proteſtatur Author, quod arma nolit præbere Proteſtantibus, eorum ſeceſſum

probare & excuſare, quia Auguſtinus ait; ſcindendæ unionis nullam dari juſtam excuſationem, & Marcus Antonius de Dominis à Papâ, quem Antichriſtum vocat; ſolum cavendum eſſe, ne quis ei, *quatenus Antichriſtus eſt*, ſe ſubijciat, ſed Schiſma indignum & reprehenſibile eſſe, ſe ab aliis Eccleſiis ſeparare, quæ ſub illo ſuppreſſe gemunt, & integram Chriſti fidem ſervant.

15. Acatholici peccant nimietate, noſtrorum zelus eſt indiſcretus: in omnibus ſectanda veritas. Abſurdum eſt, aliam fidem in Eccleſia & Scholis docere, aliam contra hæreticos propugnare &c.

16. Inter Theologos catholicos & Proteſtantes jam convenit de variis quæſtionibus, quæ Schiſmati inter reliquas anſam dederunt, de juſtificatione, libero arbitrio, de bonis operibus, merito &c. Non eſt deſperandum, dummodo primarium hujus compoſitionis obſtaculum, ſeu offendiculum præprimis tollatur.

17. Inclamat cum Fulberto Carnotenſi Epiſt. 2. Dyoniſios, Martinos, Hilarios, qui ſacro

ſacro pietatis igne accenſi frangant impetus, & unitatem Eccleſiæ in ſancto gladio defendant. Attamen intempeſtivus zelus non juvat. Omnia tempus habent; ſed qui Epiſcopus in hunc finem non ſerio laborat, dum poteſt, Spiritus S. regulam non ſervat, & ſuæ graviſſimæ obligationi parum ſatisfacit.

Nota.

Quid Febronius toto hoc Paragrapho agit, niſi quod jam alibi ſæpius actum fuit: eadem repetit, ideas confundit, frivolas inde concluſiones elicit, ſolum aliis verbis, novis citationibus undeunde corraſis proponit. Romanam Eccleſiam, Pontifices, eisque adhærentes de ſuperſtitione, maligno Zelo, uſurpationibus, ambitione, exceſſu, abuſibus reos agit, Monarchiam, non qualem Catholici defendunt, ſed qualem ipſe & Proteſtantes fingunt, deſpoticam & tyrannicam proponit, hanc cauſam hæreſum eſſe ait: in tantum Acatholicorum omnium & hæreſum Patrocinium in ſe ſuſcipit, & excuſat, ut etiam dicat, *eo reſpectu hæreticos dici non debere, quod debitos honores & Prærogati-*

gativas Capiti negent, utendo etiam odioſis comparationibus, *& immoderatis adverſus illud exclamationibus.* Sed quæſo, *debiti honores & prærogativæ Capitis* utique ad Primatum pertinent, ſunt ipſa jura Primatus: eſt autem Primatus Juris divini, eſt de fide, atque in S. Scriptura, Evangelio Chriſti & traditione aperte fundatur. Qui ergo hunc negat, hæreticus non ſit?

Cultum, qui rom. Pontifici redditur, *ſuperſtitioſum* iterum vocat: ſuperiori mox Paragrapho dixerat, in hoc Principes, Reges, Populos, Epiſcopos, omnes erraſſe; quid hoc aliud eſt, quam totam Eccleſiam defeciſſe, atque in puncto Religionis ac fidei aberraſſe?

Proteſtantium querelas adverſus Papam juſtas & fundatas fuiſſe, dicit probari ex Tridentino per Reformationem introductam. Sed hem fallaciam! Tridentinum circa Monarchiam papalem, circa Primatum nihil immutavit, de quo non raro ipſe queritur Febronius: & ſi Primatus atque Monarchia papalis præcipua fuit cauſa ſciſſionis & defectionis à fide, & adhuc eſt obſtaculum reunio-

reunionis, uti hic perſuadere tentat: Tridentinum vero hoc punctum reformavit, quare non ad fidem & unionem rediêre Proteſtantes? quare hodie non amplectuntur Tridentinum?

Equidem Febronius ait, Proteſtantes declarare, cauſam hæreſis, & obſtaculum reunionis fuiſſe Monarchiam pontificiam & exorbitantem Poteſtatem: citat Schilterum, Ephemerides Gœttingenſes, & Gibert. Sed negat hoc Chriſtianus Walchius in Univerſitate Gœttingenſi Theologiæ Doctor & Profeſſor libro neueſte Religionsgeſchichte Anno 1771. contra librum Febronii, aitque, alios adhuc articulos obſtare, quo minus febroniana Conſilia & Doctrina ad reunionem ſufficiânt, atque inter alia Proteſtantes non modo nullam *Monarchiæ ſpeciem*, ſed nec *Ariſtocratiam* in Eccleſia admittere eos velle *libertatem conſcientiæ* ab omni authoritate tam *Conciliorum generalium*, quam *Epiſcoporum*: igitur ſi obſtacula reunionis tollere vis, non ſolum Papatum, ſed & Conſilia generalia, particularia, Epiſcopatum tollere debes. Carolus Bahrdt

Lipſienſis anno 1763. diſerte negat contra Febronium, quod etiam evulſâ radicitus Papæ Poteſtate reunio fieri poſſit, niſi & alii adhuc articuli tollantur.

Exiſtimat Febronius, quod hæc duo individua non ſufficiant ad teſtandum de ſenſu totius Eccleſiæ proteſtanticæ. Verum Febronio ad probandum, quod Poteſtas & Monarchia papalis ſit perpetuum obſtaculum reunionis, ſufficiebant Schilterus & Ephemerides Gœttingenſes; nam Gibert huc non pertinet, qui in cauſa aliena teſtimonium ex ſe ferre non poteſt, ſed ipſi Proteſtantes audiri debent. Quare ergo non audiantur, atque ſufficiant duo Proteſtantes hodierni, ambo celeberrimarum Religionis proteſtanticæ Academiarum Lipſienſis & Gœttingenſis membra, & quidem tunc teſtimonium atque reſponſum ex profeſſo proferentes, quando ipſis à Febronio remedium unionis in ſuo libro oblatum fuit?

Notum eſt, in fœderato Belgio & in Anglia rom. Pontifici non ſolum Primatum, & omnem inſuper Poteſtatem etiam in ſpiritua-

tualibus negari, ſed lege quoque cautum fuiſſe, ut omnis Jurisdictio & poteſtas Eccleſiæ ſit penes Magiſtratum civilem, & in Anglia ipſe Rex ſit Caput Eccleſiæ anglicanæ, ex quo mirum non eſt, quod Catholici, etſi exorbitantibus aliquorum Scholaſticorum ſententiis non ſubſcribant, ſolum quia iis principiis, ſalva fide, aſſentiri non poſſunt, ex hoc fundamento videantur inepti ad Conſilia talis Status, qui his principiis tanquam fundamentalibus in materia religionis regitur.

At magis mirum, quomodo econtra Acatholici talibus principiis imbuti poſſint eſſe apti ad Conſilia Status in eo Regno, ubi Primatus Papæ, & Poteſtas Eccleſiæ à Sæculari independens in materiis Religionis pro puncto Religionis & fidei habetur? ſed nunquid effectus ſenſim manibus palpamus, quod filii tenebrarum prudentiores ſint filiis lucis.

Febronius Hugonem Grotium æquum fuiſſe laudat, quod etiam exorbitantes ſententias non *romanæ Religioni* adſcribat, hancque non formidandam eſſe dicat, ſed Jeſuitas. Gro-

tio minus æquus fuit Febronius, qui Proteſtantium objecta mox iterum ipſi Eccleſiæ adſcribit, quæ doctrinam de monarchico ſtatu, ſi ipſum audiamus, ex Iſidoro Mercatore hauſit, per hunc decepta fuit, hunc in Syſtemate Regiminis eccleſiaſtici ſecuta eſt, unde plus mali in Eccleſiam, ut ait, quam per Hæreſiarchas ſimul omnes illatam fuit. Hoc toties repetit Febronius. Quis æquior in Eccleſiam romano-catholicam, Hugo Grotius Acatholicus, anne Febronius?

Si Primatus Pontificis in ſenſu, quem defendunt Itali, fuit *juſta & legitima cauſa Schiſmatis Græcorum*, atque eorum *relapſûs*, tunc Eccleſia peſſime egit, eos tanquam Schismaticos habendo & declarando: male egerunt Imperatores, Patriarchæ, Epiſcopi hac in parte cum latinis reconciliationem ineundo: at utique non niſi rationibus & authoritate victi ceſſerunt græci, atque in eandem ſententiam cum latinis conſenſerunt?

Ex his ultro patet, non jam exceſſum Poteſtatis, ſed ipſam poteſtatem, quam in rom. Pontifice nullatenus agnoſcebant Acatho-

tholici, proinde ipſum pertinacem eorum errorem impedimentum reunionis fuiſſe, & fruſtra Febronium laborare, quando iterum in ſubſidium vocatis Gerſone, Alliacenſi & Andrea Magorenſi in abuſus & exceſſus invehitur: abuſus nunquam juſta cauſa fuerunt abjiciendi Religionem, ſed nec ſunt unionem atque reconciliationem aſpernandi; nam Eccleſia abuſus nunquam probavit, neque modo probat. Sed intereſt inter *veros abuſus* & *Poteſtatem*; Proteſtantes atque Febronius ipſam Poteſtatem inter abuſus numerant, & ſæpe abuſus eſſe volunt, qui revera tales non ſunt. Tentavit clariſſimus Boſſuetus reunionem, ſed longe aliis mediis, aliâ viâ inceſſit: tentavit Marcus Antonius de Dominis eandem reunionem, ſed viâ omni viro catholico indigniſſimâ, cui Febronius multum ſimilior, quam Boſſueto factus eſt, quando illo apoſtatâ tanquam Doctore uſus non ſolum ſæpius verba, ſed & ſententias exſcripſiſſe convinci poteſt.

Et quid tandem Febronius ſuo *libro ſingulari* pro unione hactenus valuit, quid profuit?

ne

ne unum, quod ſciam, ad catholica ſacra etiam ſub conditionibus, quales ab ipſo proponuntur, reduxit: attamen hoc valuit, obfuitque liber ſingularis Febronii, ut aliqui hisce principiis imbuti catholicam Religionem desererent, multi romanam Eccleſiam, Centrum unitatis, Caput totius Eccleſiæ deſpectui habentes iamiam minus catholice ſaperent, quod exemplis & factis facillime probandum foret.

Febronius Conciliatoris munere functurus diſſidentes in Religione chriſtiana ſuo *libro ſingulari* unire vult. Sed quæritur, cuinam Eccleſiæ chriſtianæ omnes diſſidentes unire cupiat, & quibus mediis? inprimis abs dubio *Centro unitatis* unire vult, debetque; verum ipſe fatetur, *Eccleſiam romanam* eſſe *centrum unitatis catholicæ*, proin ad huius unionem omnes reliquæ Eccleſiæ reducendæ ſunt. Jam vero quibus mediis? nempe eidem ipſi Eccleſiæ & centro, cui diſſidentes conjungere vult, negat eam authoritatem & prærogativas, quas ab Apoſtolorum temporibus in ipſa agnovit omnium Orthodoxo-

rum

rum conſenſio, eidem perpetuam infamiam inurere conatur, hanc uſurpationis, ambitionis iam à ſecundo chriſtiano Sæculo, item ſuperſtitionis, Simoniæ, deſpotiſmi, Tyrannidis ream conſtituit, hanc labefactaſſe genuinos Canones, ſpurios invexiſſe, Epiſcopos Juribus ſuis ſpoliaſſe, inhiaſſe opibus & Monarchiæ orbis terræ, inſtitutum Chriſti evertiſſe, ſponſam Chriſti lutulento cæno immerſam reliquiſſe, vix non omnibus ſuis paginis prædicat. Quis inſipiens etiam credat, ad unitatem huius Eccleſiæ & Centri revocandos eſſe Proteſtantes, & quoscunque alios talibus mediis, quibus ea maxime exoſa, vilis, deſpecta redditur? Fateatur igitur Febronius, quod res eſt, ſe non ſerio conciliatorem, ut dixi, ſed magis adverſarium huius Eccleſiæ egiſſe, Conſilium *reunionis* nudum prætextum fuiſſe, ut Eccleſiam romanam conviitiis oneraret, finaliter autem hic operis febroniani fructus eſt, ut Catholicos *à Centro unitatis* potius averterit, quam in eo ſolidârit, Proteſtantes autem magis ab eo deterruerit.

Boſ-

Boſſuet lib. 1. hiſtor. variat. * Proteſt. num. 4. ait, Lutherum ad Melanchtonem ſcripſiſſe, ſanam doctrinam ſubſiſtere non poſſe, quamdiu Authoritas Papæ conſervetur: econtra Cardinalem Alliacenſem, quem toties pro ſe citat Febronius, dixiſſe, durante Schiſmate, quia membra ſeiunguntur à ſuo Capite, ea carere æconomo apoſtolico ac directore, inde proſequitur Boſſuetus: *quamdiu Papa non ſit, quem tota agnoſcat Eccleſia, ne ſperandum quidem eſſe, ut recte inſtitui reformatio poſſit; ita alter* (Lutherus) *reformationem à Pontificatus everſione, alter* (Alicacenſis) *à perfecta huius ſanctæ authoritatis ſtabilitate pendere iudicavit, quam Jeſus Chriſtus confirmandæ inter membra unitatis omniumque in officio continendorum cauſâ conſtituit.* Cuinam modo propius accedit Febronius, an Luthero, vel Alliacenſi atque Boſſueto? quod ſi Febronius talia nullibi in ſuis Libris protuliſſet, adhuc ſufficeret, quod hoc paragrapho num. 13. Pontificibus imputet, quod Præcepta moralia peſſumdederint, atque in gubernatione Eccleſiæ ſequantur regulas Evangelio contrarias.

Ad

Advertit ſuam perverſitatem & ſcandalum author, quod poſuit, ideo mox numero ſequenti proteſtatur, ſe per hæc nolle Proteſtantibus arma porrigere, aut eorum receſſum à catholica Eccleſia excuſare, quia Auguſtinus ait, ſcindendæ unionis nullam dari iuſtam excuſationem.

Aſt Febronius Proteſtantibus arma utique non porrigit, ſed ab ipſis porrecta arripit, eorum obiectiones, querelas, accuſationes, argumenta profert, propugnat, ſubſcribit. Certe Auguſtinus in centro unitatis haud tantam perverſitatem ineſſe credidit, ut inde omnia mala in Eccleſiam redundarent, ſecus utique ſcindendæ unionis iuſtiſſimam cauſam fore dixiſſet, valuiſſetque etiam apud Auguſtinum illa Proteſtantium excuſatio, *lege divina mandari, ne ſint ſocii & propugnatores iniuſtæ ſævitiæ*; alius ergo de centro unitatis & Eccleſia romana Auguſtino ſenſus fuit, quam Febronio & Proteſtantibus, & neque hi, neque ille ab Auguſtino excuſationem, minus patrocinium recipiunt. Advertendum eſt, Auguſtinum etiam tum ita ſenſiſſe

ſiſſe de centro unitatis & romana Eccleſiâ, poſtquam Victor I. Aſiaticis, Stephanus I. Cypriano, & africanis Epiſcopis legem dederunt, & poſtquam Pontifex cum his circa appellationes iam conflixerat.

Melius cum Febronio convenit, notus Apoſtata Antonius de Dominis, eiusdem in convitiis atque calumniis Coriphæus, dum ait, à ſolo Papa, *quatenus Antichriſtus eſt*, cavendum eſſe, non diſcedendum ab aliis Eccleſiis. Sed quænam eſt unitas aliarum Eccleſiarum, quæ vel centrum non habent, vel eidem invitæ iunguntur, ad Schiſma faciendum pronæ atque faciles?

Adverto adhuc, Febronium & in hoc falſiſſimum eſſe, quod dicat, aliam fidem in Eccleſia & Scholis doceri, aliam contra hæreticos propugnari: ſed & impudentem eſſe, quod Epiſcopos Spiritus S. regulam non ſervare, nec ſuæ obligationi ſatisfacere dicat, ſi non ad ſuum intentum adlaborent. Profecto Dyoniſii, Martini, Hilarii ſacro igne accenſi Febronio in faciem reſiſterent, ſi hodie prodituri forent.

§. IX.

§. IX.

Quod Galli ex libertatibus eccleſiaſticis ſervaverunt, in id redire aliis gentibus fas eſt.

Notum eſt, Eccleſiam gallicanam reſpectu ſummæ ſedis frui certis *libertatibus*, quibus aliæ Eccleſiæ hactenus non gaudent. Convenit inter eruditos, eas non niti ſpeciali conceſſione, ſed eſſe portiones priſtinæ & univerſalis libertatis ac diſciplinæ eccleſiaſticæ: ita Galli Doctores ad unum omnes, de Marca, Boſſuet, Fleurii, Hericourt, & præcipue Oliverius Patru in Petri Pithovii Præfat. ad du Puii Comment. de libert. gall. pag. 25.

Aliis Eccleſiis non ſunt præcluſa remedia *recuperandæ* huius libertatis; nam agitur de Jure publico ſacro communi, de rebus ſacris, non de rebus privatis & temporalibus, contra quod nihil proſunt uni, nec obſtant alteri fallaciæ, inſidiæ, ignorantia errores. Probant autem conſervatæ Gallorum, libertates, & toleratæ aliorum Eccleſiarum ſervitutes, eaſdem ſervitutes & correſpondentem eis dominatum in vero *Jure Cano-*

num non invenire fundamentum. Tanta quippe debet eſſe, & revera eſt *ex inſtituto divino* aut *univerſalis Eccleſiæ placito* Pontificis Poteſtas reſpectu unius, quanta reſpectu alterius, neque in hoc ulla Natio melioris aut deterioris conditionis alterâ. Sed nec Galli prætendunt ſe ab omni indebita ſervitute immunes, quod ex ſolo jure *Præventionis* apparet.

1. Stabilito in Eccleſia Statu monarchico, actum erat de libertatibus omnium Eccleſiarum, *gallicanâ* exceptâ. Reſponſa Pontificum, etiam ad privatorum interrogationes erigebantur in Canones & leges communes, & paulo poſt more Regum terræ rebelles declarabant eos, qui ſe opponebant. Baro de Senkenberg ſuo operi, *Methodus Jurisprudentiæ*, addidit conſpectum libri ſub titulo, *Majeſtas Imperii & libertatis Nationis germanicæ in ſacris.* Ibi dolet Author, quod in Germania nullus Catholicus adhuc Syſtema ſuarum libertatum collegerit, ediderit- que.

Au-

2. Author vix excuſabiles dicit Epiſcopos, quod paſſi ſint, ſe haberi ut ſubditos, tolerârint reſervationes caſuum, exemptiones & *omnimodam obedientiam* erga Papam. Sed quod propter bonum commune Eccleſiæ à Deo *ordini Epiſcoropum* datum, non potuit cum effectu & ſucceſſorum præjudicio *à ſingulis* dimitti.

3. Plerique Epiſcopi ſic, & recte quidem ſentiunt, ſed non agunt conſequenter ad ſua Principia. Cum Dietherus Archiepiſcopus moguntinus annatarum ſolutionem decretaret, ſcripſit ad Capitulum mogunt. Pius II., quod Dietherus *vellet Sedem apoſtolicam humiliare, & imperialem evehere, & quod vera etiam in Papam dicere, eſſet contra juramentum Epiſcoporum.* Quomodo formulæ juramentorum variatæ ſint, notavit Florens *ad Lib.* 1. *Decret. Tit. de Poſtul.* ex his ait, periculoſiſſimum eſſe, jus ſummere, ſed potius formulam ad jus referendam, & ſecundum jus explicandam eſſe.

4. Si quæratur, quæ & quot ſint libertates Eccleſiæ? reſpondent Galli, eas eſſe ſi-

ne numero, conſiſtere in jure indefinito tuendi libertatem adverſus novitates romanas: communiter ad illas referunt jus Epiſcoporum iudicandi de cauſis fidei, & ſtatuendi in rebus diſciplinæ, ut Epiſcopi non iudicentur niſi ab Epiſcopis, & ſecundum formam canonicam, quod Papa non poſſit facere functiones ordinarii in alienis Diæceſibus, niſi de conſenſu Epiſcoporum diæceſanarum, quod leges & ſtatuta romana non obligent, niſi ab Epiſcopis ſint approbata & recepta, ut cauſæ appellationum ad Sedem apoſtolicam Commiſſariis in partibus delegentur, quod Papa non poſſit dare privilegia & exemptiones citra conſenſum Epiſcoporum & permiſſionem Regis, quod diſpenſationes non poſſit concedere ſine legitima cauſa, quod non valeat derogare legibus & conſuetudinibus Provinciarum, aut etiam legitimis privilegiis ac libertatibus particularium Eccleſiarum &c. Hæc omnia & ſingula non tam eſſe *eccleſiaſticas libertates* unius Populi, quàm genuini *Juris communis placita*, hoc tractatu abunde probatum eſt. Confer. Fleurii Inſtit. Juris Eccleſ. Part. 3. Cap. 25. Addit de liber-

bertatibus Eccleſiæ gallicanæ facetiam ſeu magis Sarcaſmum ex Voltaire.

5. Dum Galli & alii ita ſentiunt, pontificiam nihilominus majeſtatem, in terris maximam, vera Religione & fide colunt, neque volunt Eccleſiæ caput eſſe imbecille, ſed firmiſſimum, valentiſſimum Conciliorum Authorem, Præſidem, Executorem, Canonum cuſtodem, ſi res poſtulat, æquum interpretem, diſpenſatorem providum, fidei & traditionis aſſertorem, adverſus contumaces quosque, ſive Epiſcopos, ſive alios, nomine contemptæ Eccleſiæ vindicem.

6. 7. & 8. Ex fructibus cognoſcitur arbor: Gallia fruitur libertate eccleſiaſticâ: ſi *ſiniſtrum* hæc producunt effectum, conſentio, ut cum cæteris redigantur in ſervitutem: ſi *bonum*, opto, ut & aliæ nationes hac in parte Galliam imitentur. Quantum in Gallia vigeat Cleri diſciplina, doctrina, zelus, genuinorum Canonum obſervantia, poſtea author multis exponit verbis Gregorii Zallwein Tom. IV. Quæſt. 3. Cap. 2. §. 12.

Nota.

Juris Conſulti galli tam varie, tam indefinite de ſuis libertatibus loquuntur, ut earum neque Originem, conditiones, modum facile aſſequaris. Sunt, qui harum libertatum fundamentum *in Sanctione pragmatica* Ludovici ſancti ponunt, ſed eruditi eam ſanctionem ſuppoſititiam eſſe cenſent. Fleurius eas duobus principiis ſuperſtruit, quorum alterum petitur ex Decretis Seſſ. 4. & 5. Concilii conſtantienſis, ambo vero principia anno 1682. à Clero Franciæ Pariſiis congregato per celebrem declarationem ſolemni ritu agnita ſunt. Alii has libertates Eccleſiæ coævas eſſe volunt. Anno 1639. prodierunt in ipſa Gallia libri *de juribus & libertatibus Eccleſiæ gallicanæ* inſcripti, qui ab Epiſcopis & ſanctiori Conſilio damnati ſunt, ubi dicitur, jam à centum annis diſputatum fuiſſe de libertatibus gallicanis, & adhucdum diſputari; hinc petitum à Clero, ut Rex cum Epiſcopis & ſanctiori Conſilio tandem declararet, quænam ſint illa Privilegia, immunitates, libertates Eccleſiæ gallicanæ, ut

veri

veri & laudabiles uſus ab uſurpationibus ſecernerentur. Putabant etiam Præſules & Eccleſiaſtici in Gallia libertatem firmari per Sanctionem Pragmaticam de anno 1438. ubi Concilii baſileenſis placita recepta ſunt. Verum abolita iſta Sanctione conſtat, eam libertatem nihil firmari, quin ut teſtatur Spondanus ipſe Gallus ad hunc annum: *hac Pragmatica in libertatem ſe aſſerere arbitrantes in ſervitutem ſæcularium judicium redacti ſunt.* En libertatem! profecto antequam libertates gallicanæ toti Eccleſiæ pro exemplo ac Syſtemate, imo pro *jure* proponerentur, præprimis neceſſarium foret, ut de iis quid certum, fixumque eſſet.

Febronius cum aliis videtur, has libertates reponere in exacta obſervantia juris antiqui, & exemptione ab omni onere injuſto, maxime à vinculo legis, quæ à Poteſtate non legitima emanat. At Antonius Charles etiam ipſe Gallus in *ſuo tractatu de libertatibus Eccleſiæ gallicanæ* docte advertit, tales definitiones eſſe mancas, vagas, obſcuras, talem libertatem eſſe odioſam, & fere non

niſi ſummi Pontificis Poteſtatis opponi, hoc nomine plurimos abuſus inſigniri poſſe; & reapſe iſta libertas nil aliud eſſet, quam arbitrium ex antiquis Canonibus retinendi, & ex novis abjiciendi, quæcunque placent. Sed relinquamus Juriſconſultos gallos, ſibi non conſentientes, & ſuas libertates nimium extenuantes: ipſam Eccleſiam gallicanam audiamus. Certum eſt, Eccleſiam gallicanam agnoſcere in rom. Pontifice Primatum non ſolum honoris, ſed & Jurisdictionis, id eſt, veram Poteſtatem in univerſa Eccleſia: hoc multiplici teſtimonio jam ſæpe probavimus. Inter multa alia tantum affero, quæ Clerus gallicanus in Conventu Pariſiis habito anno 1681. de rom. Pontifice edixit: *Caput eſt Eccleſiæ, centrum unitatis; obtinet ille in nos Primatum authoritatis & Jurisdictionis ſibi à Chriſto Jeſu in Perſona Petri collatum: qui ab hac veritate diſſentiret, Schismaticus, imo hæreticus eſſet.* Anno 1717. Parochi Diæceſis pariſienſis ſub Cardinali Noallio ſuo Archiepiſcopo ſic loquuntur: *à Patribus nos, à Synodis, à ſacris denique libris edocemur, quod Chriſtus ſervandæ Concordiæ & unitatis cauſa* volue-

voluerit ſtatuere unum Epiſcopum primum, cujus Sedes centrum eſſet unitatis. -- -- -- Illa nos docent, revera poteſtatem Capitis ſuperiorem illâ, quæ cuique membrorum in particulari inſit. Nam hoc Caput recepit à Chriſto Primatum honoris & Juriſdictionis. Eodem anno 1717. Sorbona *la defenſe de l'Univerſite contre un Memoire de quelques Prelats de France* publiçe profeſſa fuit, *articulum fidei ſibi eſſe, Juriſdictionis ac Poteſtatis judicium ad rom. Pontificem pertinere, idque judicium ei competere, quatenus eſt ſucceſſor Petri in Cathedra, quæ centrum eſt unitatis, cui in univerſa Eccleſia ordinis & Poteſtatis Primatum affixit.* Similia profitetur in cenſura contra Marcum Antonium de Dominis anno 1617. & in alia anno 1683. Item Clerus gallicanus anno 1682. in iis Comitiis, quando fabricatæ ſunt quatuor propoſitiones, graviter queſtus eſt de illis, qui *Eccleſiæ gallicanæ libertatum obtentu Primatum beati Petri, ejusque ſucceſſorum rom. Pontificum à Chriſto inſtitutum, iisque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, ſedisque apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, majeſtatem imminuere non verentur.*

tur. Anno 1639. Cura Cardinalis Richelii duo tractatus, *de Juribus & libertatibus*, item *de Probationibus libertatum Eccleſiæ gallicanæ* à 19. Epiſcopis congregatis condemnati ſunt, ubi hi aſſertas Eccleſiæ gallicanæ libertates vocant potius ſervitutes, quam libertates, easque ut falſas & hæreticas deteſtantur: & tamen Febronius fidenter hos duos tractatus ad commonſtrandam Gallorum circa ſuas libertates ſenſum cum authoritate citat, in ſpecie illum *de Probat. libert. gallic.* tom. 2. pag. mihi 542. Puteanus denique in tractatu de his libertatibus collecto ait, prætenſas gallicanas libertates magis in favorem regis militare, quam Eccleſiæ.

Ex dictis iam patet 1. Scriptores gallos circa ſuas libertates ipſos non convenire, neque etiam attendendos eſſe, cum ſæpe tales libertates aſſerant, defendantque, quæ ab ipſa Eccleſia gallicana reprobantur. 2. Eccleſiam gallicanam tanquam de fide profiteri & tenere in rom. Pontifice Primatum non ſolum honoris ſed & Jurisdictionis in univerſa Eccleſia. 3. Eidem ab omnibus obedien-

tiam

tiam deberi. 4. Hinc conſequitur neceſſario, *gallicanam Eccleſiam* tales libertates ſibi non aſſerere, quæ Primatui Jurisdictionis & debitæ obedientiæ adverſantur, funditusque evertunt. 5. Sequitur ulterius, longiſſime abeſſe, ut ſuas libertates ſtatuat in vaga illa licentia, ſeu arbitrio ex jure antiquo & novo retinendi, admittendi, abiiciendi, quæ libet, vel in exemptione à lege pontificia, tanquam proficiſcente à Poteſtate non legitima. Quis non palpat, libertatem Eccleſiæ à Febronio initio huius Capitis falſiſſime conſtitui in obſervantia Juris antiqui, reiecto novo? cur enim Galli non obſervant jus antiquiſſimum, & multos Canones, qui in tota Eccleſia, ſic & in Gallia ſunt antiquati & abrogati? cur ipſa Gallia multos Canones ſucceſſive editos obſervat? novit utique Gallia, diſciplinam variabilem eſſe, atque cum cauſa & ſæpe neceſſario variatam fuiſſe, & ideo non omnes veteres Canones obſervat, cur autem non omnes recentiores? dicemus poſtea. Porro Gallia Canones recentiores à rom. Pontifice, *tanquam à Poteſtate non legitima* dimanare nullatenus credit, quando in Papa recognoſcit

Pri-

Primatum Poteſtatis & Jurisdictionis, id eſt, juris dicendi, ſtatuendi, leges ſeu Canones ferendi Libertates ergo gallicanæ intententoFebronio nequaquam correſpondent, minus ſuffragantur.

Imo ſi rem intimius inſpiciamus, libertates gallicanæ, quas ita vocare placuit, aliud fundamentum & cauſam habent. Inprimis in Gallia ob Doctrinam pietatem, Zelum Paſtorum primariorum & Cleri antiquitus diſciplina exactior ſervata fuit, quam in aliis Provinciis & Regnis, & ideo ibi in multis non tanta vel nulla extitit neceſſitas diſciplinam variandi: dein Regnum & Eccleſia Galliæ inſignia in ſedem apoſtolicam & totam Eccleſiam olim merita contulit, ob quæ Privilegia & exemptiones à multis legibus obtinuit; hinc libertates gallicanæ Eccleſiæ potius in eo conſiſtere videntur, ut in priſtina diſciplina, quam Præſules gallicani recte tenuerunt, conſervarunt, & adhuc tenent, perſeverare, atque hac, tanquam legitimis Privilegiis imperturbate frui liceat, nec admittere teneantur, quæ ſtante hac iugi diſcipli-

ciplina vel non utilia, vel ſuis Privilegiis contraria comprobantur, & hoc quidem non eo ſenſu, quod in Pontifice Poteſtatem legislatoriam non recognoſcant, vel ei obedire non teneantur, ſed quia anteriores Pontifices eîs libertatem à certis quibusdam legibus reliquerunt, modo in huius libertatis ſunt poſſeſſione, cui libertati & Privilegiis poſteriores Pontifices nunquam derogare, neque, quae ſuae Eccleſiae utilia non ſunt, praecipue ubi nulla diſciplinam mutandi cauſa exiſtit, imponere praeſummuntur, & ideo gallicani Epiſcopi non cum contemptu, nec pro libitu reiiciunt pontificia decreta, ſed in caſu, quo Bulla Pontificis his Privilegiis & libertatibus adverſatur, cum reverentia ſummo Capiti debita deprecantur, vel *appellationem tanquam ab abuſu* interponunt. Ipſe autem Fleurius *Inſtit. Jur. eccles. Part.* 3. *Cap.* 24. de tali caſu ait, quod *apud omnes conveniat, abuſum ſupponi notorium, & hoc remedium eſſe extraordinarium, non niſi urgente neceſſitate & Reipublicae bono adhibendum.* Et inferius: *Si de Bulla vel reſcripto Pontificis lis eſt, reverentiae cauſâ non à Reſcripti conceſſione,*

ſed

ſed eius executione appellandum, ut pars adverſa magis, & quæ in judicio facta ſunt, quàm Pontificis oraculum impugnari videatur. Porro ſi aliæ Eccleſiæ & Regna non eadem, quæ Galli, obtinuerunt Privilegia; ſi in iis non ſtetit tantus vigor diſciplinæ: ſi ibi cauſa & neceſſitas fuit, reſtaurandi & mutandi diſciplinam, quod hactenus in Notis ſæpe demonſtravimus: ſi Pontifices neceſſario debuerunt ex officio Primatus ſuam interponere authoritatem, & aliqua ad ſe trahere, ſive dein ob ignorantiam aut deſidiam Epiſcoporum, ſive horum conſenſu, ſive injuria temporum, Bellorum &c. factum ſit: ſi talis Poteſtas denique Primatui Pontificis pro exigentia & bono Eccleſiæ inexiſtit, licet eam, abſente tali exigentia non ſemper exercuerit, quod itidem hinc inde ſatis evicimus, tunc libertates Eccleſiæ gallicanæ non poſſunt dici *Jus publicum commune.* Equidem *publicum commune* fuiſſet, atque adhuc eſſet, ſi aliis Eccleſiis eadem cum Gallis Privilegia conſentiente rom. Pontifice fuiſſent: ſi in aliis æque idem vigor diſciplinæ remanſiſſet: verum prius dici non poteſt, & in reliquo potuit, ac debuit

diſci-

diſciplina apud alias Eccleſias mutari: potuit, quia diſciplina non eſt immutabilis; debuit, quia ſufficientes cauſæ aderant, & bonum Eccleſiæ poſtulabat. Quidquid diſciplinam in univerſa Eccleſia attinet, *jus commune publicum* dici poteſt; ſed hoc jus commune publicum mutari poteſt, ſicut & ipſa diſciplina mutari valet.

Eadem quoque eſt Poteſtas Pontificis reſpectu unius, quam alterius Eccleſiæ, attamen non eodem modo & ratione exercenda: in una ſeſe exerit, & exerere debet, ubi Poteſtas ordinaria languet, vel deficit: in altera ſe continet, ubi omnia in ordine fiunt.

Quare argumentum Febronii à libertatibus Eccleſiæ gallicanæ ad alias Eccleſias fundamento caret, quia non eſt æqua proportio inter has & illam, quod huic ſingulare, non omnibus aliis commune eſt, nec utrobique in hoc puncto diſciplinæ eædem cauſæ, ac rationes ſubſiſtunt.

Ad 1. Actum erat non *de libertate*, ſed de *diſciplina* reliquarum Eccleſiarum, & quidem

dem non propter Statum monarchicum, quem & Galli profitentur, vid. Habert &c.; quidquid ſit de declamationibus quorundam Procuratorum generalium, ſed propter longe alias cauſas, quas ſæpe memoravi: dum igitur priſtina diſciplina ſuum vigorem & obſervantiam deperdidit; atque ut plurimum collapſa fuit, neceſſario à ſupremo Capite & Paſtore reſtaurari debuit ſic, ut inde majorem ejus influxum & vigilantiam expoſceret.

Quando autem addidit Febronius, reſponſa Pontificum erecta fuiſſe in Canones & leges communes, quæro, quid ſentiat de reſponſis & Epiſtolis decretalibus Siricii, Innocentii I., Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Leonis & aliorum anteriorum Pontificum ante Iſidori Decretales? per iſidorianas Decretales ait, Statum monarchicum in Eccleſiam introductum fuiſſe: ſed ante has illæ veterum Pontificum Decretales & reſponſa jamjam in Canones & leges erigebantur.

Ad 2. *&* 3. Dum Febronius hic contra Epiſcopos imprudenter declamat, ſolum

noto;

noto: quidquid Epiſcopis datum eſt, propter bonum commune Eccleſiæ iisdem datum fuit cum ſubordinatione ad illum, cui bonum commune & cura totius ſpecialiter commiſſa fuit: quod ergo in ſubordinatis Paſtoribus defuit, neceſſario ad ſupremum & univerſalem Paſtorem devolvi debuit. De juramento Epiſcoporum, & ejus variatis formulis ulterius verba non facio, poſtquam ſatis de hoc dixi ſupra Cap. VI. §. 14, in notis.

Ad 4. Jam vidimus, non omnia, quæ de libertatibus quivis Galli ſcribunt, audienda & vera eſſe, atque talia ſæpe in Gallia ipſa damnata & rejecta fuiſſe. Quas autem Febronius enumerat libertates, eæ utique omnibus Eccleſiis ſuo modo communes ſunt. Dico, ſuo modo: nam & Galli non omnes illimitate ſibi vendicant. Sic 1. Epiſcopi ubivis, non in Gallia ſolum, habent jus judicandi in cauſis fidei, ſed non judicio ultimato & irreformabili: 2. ſtatuendi in rebus diſciplinæ, ſed ſolum intra ſuam Diæceſin, & juxta Canones, non contra Canones præſtabilitos & univerſales. 3. Ubivis Epiſcopi

non niſi ab Epiſcopis iudicari poſſunt, ſed in cauſa depoſitionis non ſine præſcitu Papæ, & hoc iuxta Canones, uti Julius I. contra Orientales oſtendit. Romæ etiam ſive in via appellationis, ſive in prima inſtantia Epiſcopi non à ſolo Papa, ſed ab Epiſcopis quoque iudicantur. 4. Papa *per alios* regulariter non poteſt facere functiones in aliena diæceſi ſine conſenſu Epiſcopi diæceſani, niſi ad ſupplendam negligentiam Prælati: *per ſe in Perſona præſentem* autem poſſe, nec ipſi ſaniores Galli negant, quia hoc debetur reverentiæ & ſubordinationi Capitis, ac Paſtoris univerſalis. 5. Reſervatio & abſolutio caſuum papalium etiam in Gallia obtinet. Fleurius in ſua Inſtitut. Jur. Eccles. ex Rituali pariſienſi 21. caſus Papæ reſervatos enumerat: Concilium tridentinum declarat Seſſ. 14. Cap. 7. *Pontifices maximos pro ſuprema Poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſali tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuiſſe peculiari judicio reſervare.* 6. Jam vidimus ſupra, leges pontificias in Gallia non ſtatim recipi, & ab Epiſcopis prius inſpici non ea de cauſa, quod Pontifici poteſtatem legislatoriam denegent,

aut

aut legibus pontificiis per ſe nullam vim obligandi ineſſe cenſeant, ſed ut cognoſcant, utrum ſuis Privilegiis & Juribus quæſitis non adverſentur, contra quæ Pontificem agere velle, nec Epiſcopi de eo præſummunt, nec ipſe Pontifex præſummitur; ſunt autem hæc Privilegia ex ſpeciali ratione Eccleſiæ gallicanæ ſingularia, non omnibus Eccleſiis communia, quod ſupra oſtendimus. 7. Ut cauſæ appellationum Commiſſariis in partibus delegentur, hæc non ipſam Eccleſiam, diſciplinam, nec poteſtatem Pontificis, ſed meram politiam externam & modum attingunt. In Gallia hæc committuntur ipſis Epiſcopis in Theologia & Jure Doctiſſimis, & res majori cum authoritate tractantur: in Germania Epiſcopi talibus functionibus atque negotiis non inhiant, minus libenter funguntur, & aliorum ſibi adiacentium Epiſcoporum ſententias ægre refricant. 8. Nullibi Papa dat Privilegia & exemptiones non monito & conſentiente Epiſcopo: Privilegiati & exempti curam animarum & alias functiones paſtorales exercere non poſſunt ſine approbatione Epiſcopi, & ſi quæ ampliora Privilegia & ex-

emptiones olim conceſſæ fuerunt, iam per Tridentinum & alias ſunt revocatæ vel moderatæ. Etiam in Gallia vigent Privilegia & exemptiones, his ibi ſtrenue invigilatur, ut Cardinalis Lotharingus etiam ſpecialiter in commiſſis habuerit, ne quid à Concilio tridentino decernatur contra exemptionem & Privilegia Monaſterii culniacenſis, & ideo hoc Monaſterium cum ſuis limitibus Seſs. 25. Cap. 11. de reform. Regul. nominatim exceptum fuit. Quid! Gallia non ſolum habeat, & patiatur exemptiones ac Privilegia, ſed etiam in generali Concilio eas vindicet, defendatque; alibi vero exemptiones non ſint, tolerenturque? 9. de diſpenſationibus nec alibi aliter, quam in Gallia cogitatur. Plura de his vid. Cap. V. §. 5. Cap. VI. §. 14. in Not. 10. poteſt Pontifex, etiam non invitis Gallis, derogare particularibus legibus, Conſuetudinibus &c. locorum, Eccleſiarum, ſecus non iuſſiſſent Victor I. contra Aſiaticos in cauſa Paſchatis, & Stephanus I. contra Afros in cauſa rebaptizantium: attamen non debet derogare ſine urgenti cauſa, neceſſitate vel bono totius Eccleſiæ.

Ex

Ex his iam patet, ea omnia, quae libertates Galliæ vocat Febronius, etiam omnibus Eccleſiis ut plurimum eſſe communia, ſed nec Gallos ea ſibi cum exceſſu vindicare, quomodo â Febronio intelliguntur, exponunturque; ideo Febronium in ſua Doctrina & conſiliis, quæ omnibus Epiſcopis perſuadere vult, à gallicana Eccleſia multum diſtare, atque perverſè ab iſta exemplum ſummere.

Ad 5. Infelix adulator! pontificiam authoritatem doloſe, attamen fruſtra extollit: hoc ſua doctrina non probat, minus efficiet. Galli recte ſapiunt; ſed ipſe cum Gallis non ſapit, & qui ſecum ſentiunt, profecto male ſapiunt. En eius perverſitates & contradictiones! vult, *non imbecille eſſe Caput Eccleſiæ*, attamen docet, Papam non eſſe caput Eccleſiæ, niſi ſecundum metaphoram, & quod membra pro libitu ei poſſint reſiſtere; vult, Papam eſſe *valentiſſimum Conciliorum authorem*, & docet, jus convocandi Concilia pertinere ad Impératorem & Principes: vult, eum eſſe Canonum & Conciliorum *diſpenſatorem*, & negat, eum diſpenſare poſſe in le-

gibus univerſalibus Eccleſiæ, econtra quemvis Epiſcopum habere in his poteſtatem propria authoritate diſpenſandi: vult, eum *fidei & traditionis toto orbe terrarum aſſertorem* eſſe *à Chriſto inſtitutum*, & tamen docet, eius aſſerta eſſe reformabilia & infirma: vult, eum *in contumaces* eſſe *vindicem*, ſed *nomine Eccleſiæ*: & docet, eius leges nihil valere, niſi ultro recipiantur, non poſſe ſtatuere leges in univerſa Eccleſia, eius cenſurarum fulmina non eſſe metuenda &c. Galli non ita ſentiunt, nec cum eo deſipiunt.

Ad 6. 7. *&* 8. Perverſa omnino ratiocinatio! viget in Gallia diſciplina Cleri: ergo libertates & Privilegia hunc effectum *bonum* produxerunt? Zallwein allegante Febronio laudat immobilem cum ſede romana, tanquam centro unitatis Galliæ adhæſionem & communionem, Pietatem, Zelum, apoſtolicam vivendi normam, eruditionem tum Præſulum, tum Cleri ſæcularis & Regularis; inde recte bonam, florentemque diſciplinam argues; ſed eam ex Privilegiis & libertatibus haud argues; abſint enim Zelus, Pietas,

tas, eruditio, apoſtolica vivendi norma, certe Privilegia & libertates diſciplinam magis adhuc evertent, nocebunt, quam inducent, aut firmabunt. Utique Germania tanto Zelo, Pietate, doctrina, eruditione, morum rectitudine &c. ſui Cleri, prout in Gallia viget, gloriari non poteſt; fruatur hæc nihilominus iisdem Privilegiis & libertatibus, quibus Gallia, ſi tamen illa deſint, diſciplina non vigebit, imo adhuc in peius ruet. Fuerunt in Gallia, qui has libertates nimium extenuarent, viderunt Præſules, tales libertates ſiniſtrum effectum producere, potius diſciplinam corrumpere, & Eccleſiam in Servitutem redigere, ideo ut ſupra vidimus, eos damnarunt, prudenter exiſtimantes, veras libertates ſane explicandas, & iis ſobrie utendum eſſe. Interim ſuo Zelo & doctrina pro fide, Religione & ſede apoſtolica meruerunt Galli, & adhuc merentur ſua Privilegia ac libertates: ſi tales etiam aliis Eccleſiis optas, ſimul optare debes, talem Zelum, doctrinam merita aliis Eccleſiis etiam fuiſſe, & adhuc eſſe.

Tandem quæ ex Zallwein à Febronio adducuntur, potius canfirmant ea, quæ mox pro Gallia diximus, majorem ibi fuiſſe Paſtorum vigilantiam, Zelum, morum exempla, & uberiorem Populi inſtructionem atque doctrinam, & ideo minus cauſæ fuit, ibi multa innovare, & rectius in priſtina ſua diſciplina relinquebantur.

§. X.

Reductionem genuini Juris Canonici non impediunt Concordata à romana Sede cum variis Nationibus inita.

Concordata cum *particularibus* Nationibus inita nequeunt impedire, quo minus in Eccleſia omnia in debitum & naturalem ſtatum reponantur: illa extorſerunt, & inita fuerunt, ubi temporum injuriæ, ignorantia, ſuperſtitio & fatalis opinio, ac ſi tota Eccleſiæ authoritas penes rom. Pontficem, atque in ipſos Reges & Principes imperium reſideat, adhuc regnabant; ſed ſicut cognita veritate illud imperium quoad temporalia dimiſſum eſt, ita & *quoad ſpiritualia* dimittetur, quia cognitis nunc terminis pontificiæ

&

& epiſcopalis authoritatis, Pacta, quibus error & ignorantia cauſam dederunt, nullam producunt obligationem. Grotius de J. B. & P. Cap. 11. §. 6.

1. Itali & romanæ Curiæ aſſentatores docent, Papam de plenitudine Poteſtatis contravenire Concordatis poſſe, quia Pontifex poteſtatem diſponendi de beneficiis, cæteriſque juribus eccleſiaſticis à Chriſto Domino immediate accepit: quod quomodocunque paciſcatur Papa, ſemper includatur conditio, *niſi occurrat gravis cauſa, ob quam aliud poſtulet commune bonum Eccleſiæ.* Colligunt id ex tenore ipſorum Concordatorum §. *item placuit*, de confirmationibus Electionum. Dicunt, Concordata, licet habeant *aliquem ſpeciem pacti*, tamen magis eſſe *Privilegium* papale, quia ſpiritualia ſub contractum proprie dictum non cadunt.

2. Hæc argumenta vice verſa probant, Nationes & Eccleſias non ligari, & ſi ſpiritualia ſub Pactum non cadunt, Epiſcopos ſublatis reſervationibus in collationes beneficiorum redire poſſe, quia à Deo jus & po-

teſtatem habent conſtituendi Miniſtros pro cura animarum.

3. Iidem romanae Curiae aſſentatores Canoniſtæ non poſſunt negare, ordinarios habere adverſus ipſum Pontificem intentionem fundatam in Jure quoad proviſionem omnium beneficiorum ſuæ Diæceſis. Ita Pirrhing, Schmalzgrueber.

4. Propter frequentes romanorum transgreſſiones de Concordatis penitus abolendis haud ſemel in Comitiis Imperii cogitatum fuit. Vid. Moſer Jus Public. Germ. tom. 1. lib. 1. Cap. 18. §. 55. adde Zallwein.

5. Propter has cauſas Germani mox poſt obitum Nicolai V. pragmaticæ ſanctionis condendæ conſilium inierunt. Ita Platina, Mejerus Mogunt. &c. Calixtus III. ſe excuſavit apud Fridericum Imp. III., ſuſtinens tamen, *liberrimam eſſe apoſtolicæ Sedis authoritatem, nulliſque deberi Pactionum vinculis coerceri.* Usque in hunc diem hæc principia Romæ perdurant. Certi autem & perpetui Juris eſt, uno contrahentium Pactis

non

non ſtante, obligationem diſſolvi, ut neo pænitentiâ ducto adverſario, alter ad implendas Pacti Leges cogi poſſit. Puſendorff, de J. N. & G. L. 5. Cap. 11.

Nota.

Febronius totus ex ore Acatholicorum hic loquitur, citatque in confirmationem dictorum ſuorum Grotium, Moſer, Wolffium, Puſendorfium; ſunt autem paſſim ſcriptores Acatholici, qui calumniis virulentis proſcindunt Concordata, tanquam Germaniæ perniciosa, Majeſtati Imperii & Cæſaris indigna, antiquæ Eccleſiæ difformia, creſcente Curiæ romanæ ambitione & dominatu deſpotico invecta: non placent illis Concordata, quia Concordia non placet: & Pax ſacram inter & politicam Poteſtatem: quia Regnum cum Sacerdotio æternis contentionibus vellent collidi: quia tanquam jurati pontificiæ Poteſtatis hoſtes & hanc & totum ordinem eccleſiaſticum depreſſum, ſuppreſſumque cupiunt. Sed utinam hodiè cum his Catholici non manus jungerent, atque ſicut

ſicut Febronius talia principia Religioni ſumme noxia foverent.

Dicit Febronius, temporum injurias, ignorantiam, ſuperſtitionem & fatalem de romani Pontificis Poteſtate opinionem hæc Concordata extorſiſſe. At falſiſſime omnino: Concordata præcipue attingunt reſervationes, collationes beneficiorum, Electiones & Annatas: quod ſi illa opinio, ſi ignorantia in culpa fuit, quare jam diu ante Concordata in Concilio conſtantienſi, dein ante in- & poſt Concilium baſileenſe reſervationes, collationes, Annatæ Pontifici denegabantur, aut contradicebantur? non igitur ignorantiâ, non mediante illa opinione, aut aliâ viâ extorta ſunt Concordata, ſi jam antea, quæ petebat, aut exercebat Pontifex, eidem non deberi, nec concedere volebant Germani. Et ſi de extorſione ſermo eſt, quanam ex parte major vis interceſſit? Germani minabantur rom. Pontifici Eugenio IV., niſi gravamina circa reſervationes, collationes, annatas &c. tolleret, ſe neutralitatem abjecturos, in ejus depoſitionem conſenſuros,

atque

atque Concilio baſileenſi, quod tunc certo & aperte ſchiſmaticum jam erat, adhæſuros fore. Graviſſimæ hæ minæ inijciebantur Pontifici graviter decumbenti, & morti jamiam appropinquanti; ſucceſſor ejus Nicolaus greſſum, quem fecerat Eugenius, retrahere amplius non poterat, poſtquam jam antea ſatis duros & inflexibiles expertus eſt Germanos.

Non dicam, injuſtas fuiſſe omnes querelas Germanorum, ſi exercitium, modus ſpectetur; ſed non minus juſtiſſimæ fuerunt querelæ Pontificum, ſi non ſolum modus & exercitium, ſed ipſa Poteſtas conſiderentur. Jam diu querebatur Pontifex, ſacras à profana manu uſurpari inveſtituras, inhabiles, indignos, rudes intrudi in Sacrarium Domini, dominari violentiam, Simoniam, tolerari & promoveri manifeſtos concubinarios ac vitioſos, in conferendis Beneficiis nullam Canonum rationem haberi, inde abuſus, ignorantia, corruptio diſciplinæ & totius Cleri ſuam Originem neceſſario traxêre: hæc in tantum omnibus vera ac certa eſſe videban-

bantur, ut etiam Concilium baſileenſe eo ipſo tempore, quo omnes reſervationes, exſpectativas, Proviſiones papales tollere volebat, nihilominus decreta & pænas in Simoniacos & Concubinarios &c. ſtatuere, neceſſe habuerit. Quos motus & abuſus protulerint inveſtituræ, notum eſt? his reſiſtebant ſummi Pontifices; poſtea reſervationes? his ſe opponebant Nationes, tandem per concordata ſucceſſit libertas electionum, & nunc, utrum per has, quamvis per Canones ſeveriſſime præcipiatur, ut ſemper dignior eligatur, melius proviſum ſit bono Eccleſiæ, ſaltem Problema eſto. Æneas Sylvius ſuo jam ævo id non credidit. *De mor. Germ. pag.* 1048. Confer Raynald. ad ann. 1311.

Ad 1. Quod ſpiritualia non cadant ſub contractum proprie dictum, & quod qualitercunque paciſcatur Pontifex, ſemper includatur conditio, *niſi aliud poſtulet bonum commune Eccleſiæ*, hæc duo certa ſunt, tum in natura rei, tum in Poteſtate atque officio ſummi Pontificis inabdicabiliter radicantur: hoc

hoc docent omnes vere Catholici, & hi Curiæ romanæ aſſentatores à Febronio vocantur! debetne igitur particulare commodum unius Nationis à Papa præhaberi bono totius Eccleſiæ? quo ſenſu intelligendum ſit, Papam de plenitudine poteſtatis concordatis contravenire poſſe, ſuperiori Capite ex Barthelio indicavimus.

Ad 2. Hæ conditiones vel exceptiones pro altera paciſcentium Parte, vel Nationibus nequaquam militant; quippe illæ ex parte Pontificis neceſſario intelliguntur incluſæ, quin & §. *item placuit*, ſatis exprimuntur, atque Catholici, quibuscum tractatum fuit, ignorare non poterant, hanc conditionem ſemper tacite imbibitam eſſe, quia pactum particulare nunquam obeſſe debet bono communi totius Eccleſiæ, & ideo ex hoc capite Nationes non habent cauſam reſcindendi Pactum; non enim contra Eccleſiam, ſed pro Eccleſia Pactum iniiſſe præſumuntur. Cæterum ſublatis Pactis res iterum in eum ſtatum, qui fuit ante Pacta, & qui per Pacta mutatus eſt, adeoque in priſtinas reſervatio-

nes

nes recidere deberet, præcipue quando eæ-dem cauſæ rurſus exiſterent, vel obvenirent. Has vero reſervationes Papa non per Pacta ab Epiſcopis obtinuit, ſed proprio jure & cauſis legitime ſuffragantibus (ſi fors nimietatem excipias, atque de Poteſtate ſolum ſermo ſit) exercuit. Si igitur te vadem præſtare poteris, tales reſervationum cauſas, ſublatis Concordatis, neque tum, nec ullo amplius tempore ullibi extituras fore tunc facile illæ reſervationes ceſſare poterunt; attamen ut Epiſcopi in omnia ſua jura reſtituerentur, pariter neceſſe foret, ut etiam primæ preces, & omne Jus patronatus, Laicorum præcipue, ceſſaret.

☞ *Ad* 3. Ita eſt: Epiſcopi habent intentionem fundatam in Jure quoad Proviſionem omnium beneficiorum in ſua Diæceſi: attamen hoc jus ſubordinatum eſt Jure ſupremo ad ſupplendum, vel etiam præveniendum, ſi eo omnino non, vel minus recte utantur, & ideo reſervatio non excluditur. Dein quid dicis iterum de Jure Patronatus &c.? quamvis Epiſcopi jus habent libere providen-

di

di de Beneficiis, tamen illud introductum fuit, atque in jus tranſiit, quod modo pati debent Epiſcopi.

Ad 4. *&* 5. Febronius ex Flœrkio ait, *Concordata à pauciſſimis Imperii Proceribus fuiſſe inita*, & tamen in ProæmioConcordatorum dicitur, ea *plurimorum ſacri romani Imperii electorum, aliorumque ejusdem Nationis, tam eccleſiaſticorum quàm ſæcularium Principum conſenſibus accedentibus* fuiſſe *concluſa*, *laudata & acceptata*; dum vero in Bulla dicitur: *nonnulli alii ſæculares & eccleſiaſtici Principes*, iam ex Barthelio oſtendimus, per hoc non intelligi, nec poſſe intelligi *pauciſſimos.*

De Concordatis penitus abolendis utique *haut ſemel*, quin inſtigantibus Acatholicis. Plusquam ſemel cogitatum, vel potius propoſitum fuit: num juſtè, benè, atque cum decore Nationis? De transgreſſionibus Romanorum jam alibi ſatis dixi, atque huic querelæ etiam reponi poſſet, Concordata jam ab initio ex parte Germanorum quoque exacte impleta non fuiſſe, quia aliqui Decanatus, & pinguiſſimi Canonicatus, quorum

annui reditus 24. Florenos auri de Camera multum excedunt, non ſolvunt annatas &c.

§. XI.

Libertati eccleſiaſticæ non tam officiunt Pontifices, quam romana Curia.

Proteſtatur author, hactenus expoſita ſe non Pontificibus, qui ſæpe optimi ſunt, ſed Curiæ imputare, ita ut Papa aliter, quam ad ductum iſidorianarum Decretalium procedens à ſuis contemptim haberetur, imo tanquam diſſipator Privilegiorum Primatui divinitus annexorum omnes excogitabiles oppoſitiones & contradictiones experturus eſſet. Poſtea de vitiis Aulicorum diſcurrit, & romanis Curialiſtis adplicat dicta Goffredi vindocienſis *tract. de Ordinat. Epiſcop. & inveſtitura Laicorum.* Opp. pag. 884. eſſe, qui romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, & aliter, quam ſcriptura divina præcipit, eam facere poſſe.

1. Narrat ex Ottone Friſingenſe de Geſtis Friderici I. Imp. L. 1. Cap. 57. dum Eugenius P. cum D. Bernardo & Eccleſia gallica-

licana cauſam Gilberti pictavienſis privatim tractaret, inſurrexiſſe Cardinales, eidem exprobrantes, poſtquam ab ipſis promotus, & univerſalis Pater eſſet effectus, jam non ſuum, ſed ipſorum potius eſſe oportere, omnium utilitati conſulere, romanæque Curiæ culmen curare, & obſervare debere &c.

2. Quamvis hæc Cardinalium peroratio quibusdam ſuſpecta habeatur, potuit tamen Otto talia ex certiſſimis documentis haurire, etſi ſua, non Cardinalium verba retulit, ea certe accomodavit ad proſpectum ſibi ſtylum Curiæ.

3. Cardinalis Baronius laudat hos Cardinales, & tot Paulos facit, qui Petro in faciem reſtituerunt, eo quod ipſis reprehenſibilis videbatur. Subdit Febronius: ſic Paulos in Petrum Cardinales agunt, quotiescunque illum circa conſervationem jurium ſummæ Sedi quomodocunque partorum remiſſius agere animadvertunt.

4. & 5. Pallavicinus Hadrianum VI. dicit, *optimum ſane ſacerdotem fuiſſe, ſed Pon-*

tificem revera mediocrem. Odium ſuorum Curialium & Nationis italicæ promeruit, quia teſte l' Advocat voluit reformare abuſus Curiæ romanæ, & Politicus non erat: quia ſic vivere & regere inſtituit, ſicut adhuc Theologus lovanienſis docuerat, nempe Clerico ex bonis Eccleſiæ præter victum & veſtitum nihil deberi, diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum & alias ſine neceſſitate vel communi utilitate Eccleſiæ datas illicitas & vanas eſſe, quia tandem Franciſco Cheregato Legato in Germaniam eunti in mandatis expoſuit, *in ſancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus, in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata.*

6. Rei catholicæ male conſulunt, qui *romanam Curiam* cum *apoſtolica Sede* confundunt, huicque adſcribunt, quod opus eorum eſt, qui aliarum Eccleſiarum jura conculcant, Canonum præcepta transgrediuntur, & illos ſanctæ Sedis inimicos eſſe volunt, quibus nulli ſunt obedientiores: econtra illa Sedes non debet pro amicis agnoſce-

re,

re, quos romana Curia ad fines ſuos politicos habet adulatores.

7. Multi terrentur per *Brevia apoſtolica* expreſſionibus, quæ ſummis Pontificibus tribuuntur, ubi ſæpe impium & ſacrilegum vocatur, quod de ſe non eſt niſi pura & litteralis SS. Canonum executio. Quidquid igitur in iis ſub venerando Pontificum nomine in publicum datur, poteſt fallere pietatem minus inſtructam & ſuperſtitioſam, ſed nunquam erit S. Sedis oraculum. Itaque non audiamus viros, qui ad tegendam aut tuendam ſuam ambitionem aut avaritiam abutuntur reſpectu S. Sedi debito, & ſub hujus obtentu perſequuntur eos, qui optimo fine noxiis illorum ſtudiis obſiſtunt; minus terreantur vanis eorum clamoribus, qui nos calumniantur, quaſi primæ Sedi detrahamus, quando revera aliud non agimus, quam ut eidem Sedi & univerſali Eccleſiæ deferamus illorum vitia, quibus Petri Cathedra dehoneſtatur.

Nota.

Ingenuus Lector ſolum in memoriam revocet, quæ Febronius haſtenus per totum ſuum opus in veteres & noviores Pontifices, etiam ſanctiſſimos, & à tota Eccleſia in publica veneratione habitos ſparſit, quos eis imputaverit abuſus, ambitiones, mala, vitia, etiam ſarcasmis, contumeliis, & calumniis non parcens: nunc eos ſubdole & phariſaice excuſare videtur. Verum aut falſa ſunt & mendacia ea omnia, quæ contra ipſos ſummos Pontifices ſcripſit, & de quibus eos accuſavit Febronius, aut hæc ejus excuſatio contra mentem, contra ipſius dicta & ſcripta anteriora doloſa atque deceptoria eſt, quare ſi anteriora cum ſubſequentibus bene connectimus, mihi potius videtur, Febronium hîc ſtudio Adulatoris officium aſſummere, nempe ut tali excuſatione ſummum Pontificem præveniat, diſponat, & magis propitium ſibi reddat ad ea, quæ ultimo Capite contra ipſum & totam Romam concluſurus eſſet.

De Aulicis quidem hæc profert Febronius : *Experientia heu nimium compertum habetur, quod Principum Miniſtri potiſſimum ſint, qui aut rerum habendorum cupidine allecti, aut ambitionis vento afflati, aut invidiâ agitati, aut adulationibus aſſueti Imperantes inter ſe collidunt, fines Imperii confundunt, alterius limites turbant, ac invadunt, diſſidiorum, litium ac controverſiarum quotidiana ſpargunt ſemina, ac hac ratione innocuis bella movent libertatibus, nulla ſanctiſſimarum legum, & Pactorum ratione habita.* Quantum hæc ad ſæculares Aulicos, & Curias attinent, nullam hac majorem veritatem in toto ſuo opere protulit Febronius : id non ſolum ab omni ævo compertum habemus, ſed & vix unquam magis, quam hodie totus ingemiſcit orbis.

Sed quare ſic ſemper fuit, & adhuc eſt? cur iſta vitia nunquam ab Aulis eliminata, cur ſemper tolerata fuêre, & adhucdum tolerantur? nunquid ideo, quia ipſæ Aulæ vitia iſta parturiunt, & nihilominus Principes Miniſtris carere non poſſunt? illi quantumvis pii, optimique vitia iſta ab Au-

lis ſuis penitus exterminare nunquam valent; quid de minus piis, atque Religionis incuriis ſenties?

Verum anne vitia iſta etiam in Aulis & Curiis Principum eccleſiaſticorum regnant? vix dubitabis, quando talia de omnium Principum Miniſtris illimitate aſſerit Febronius. Cur ergo in ſolam Aulam, Curiamque romanam tanto fervore invehitur? dum de omnium cauſa agitur, vel omnes ſe defendant, neceſſe eſt, vel aperta invidia atque injuſtitia eſt, uni tantum Curiæ vitia exprobare, tanquam huic ſingularia, quæ tamen omnibus ſunt communia.

Dices: emendationem præprimis à principali & prima Curia ſuſcipiendam eſſe, ut inde exemplum ſumant cæteræ. Reſpondeo: habent & aliæ legem atque Prophetas, has ſequantur, & audiant. Quid exemplum exſpectant? ſi Curia romana etiam optime ſit conſtituta, num ideo cæteræ vitio carebunt? non nego, in Curialibus & Curia romana abuſus & vitia fuiſſe, fors adhuc eſſe; ſed nego, ea talia ac tanta fuiſſe, quæ à Febro-

bronio, aliisque romani nominis hoſtibus prædicantur, vel tot atque majora, quàm in aliis Curiis viguerunt, aut adhuc vigent. Quod ſi autem à Curiis, numeroſis præcipue atque majoribus, ut mox dixi, abuſus aut omnino non, aut abeſſe vix poſſunt, quid tu romanam Curiam præ aliis exagitas? Æneas Sylvius ſuo ævo, ubi certe major adhuc, quàm hodie, cauſa extitit arrodendi Curiam romanam, auſus fuit, ad omnes alias, quas bene noverat, Curias provocare, utrum cum romana in doctrina, pietate, & rerum agendarum ſcientiâ, prudentiâ comparari valeant? Carraccioli in libro des Voyages des Raiſons ait, de Roma plura mendacia, quàm veritates ad nos afferri, & quisquis intima Aulæ romanæ perſpexerit, aliter quàm Febronius cum ſuis aſſeclis certe judicabit, qui ex auditu ſimul ac præventione, non cognitis nec penetratis omnibus cauſis, procul ab urbe ratiocinantur. Dein putasne, Italos, qui tam delicati ſunt, à tanto tempore ad tot accuſationes, improperia, contumelias, ſi objecta vera forent, ſemper tam inſenſibiles, obſtinatos vel eſ-

 ſron-

frontes eſſe, quàm unum ex plebe Germanum, ut nihil immutarent, nihil emendarent? ſi igitur adhuc Capiti Eccleſiæ ea jura defendunt, quæ eidem vere competunt, quamquam Febronio & hodiernis Semi-Doctoribus æque, ac hæreticis non placeant, ideo nec minus boni ſunt, nec male ſapiunt.

Sed quid? Febronius hoc paragrapho pro Pontificibus contra Curiam perorat; aſt ſatis invalide, aut minus ſincere; quippe prius tot in opere ſuo exagitavit Pontifices, & vix duos modo defendit, Eugenium III. & Hadrianum VI. Neque hos defenderet, niſi inde occaſiouem inveniret infamandi Curiam. Quod attinet Eugenium III. & perorationem Cardinalium, Otto Friſingenſis, qui eam perorationem profert, partibus Imperatoris contra Pontifices & Curiam certe addictus fuit, & ideo non jam de verbis, ſed & de hiſtoria ſuſpectus eſſe poterit, quæ aliis documentis non comprobatur: & ſi hiſtoria vera foret, dum ſua, non Cardinalium verba retulit, ea potius ſuo ſenſui ac præjudicio, quàm ſtylo Curiæ accomodavit, quod

de

de aliis hujus Authoris relationibus ac judiciis dici poteſt. Quidquid ſit, hoc teſtimonium, ſi verum eſſet, ſaltem probaret, Cardinales & Curiam Pontificis, quidquid audentis, haud adulatores eſſe; eos vero ſolum tunc Paulos in Petrum eſſe, quando hic circa conſervationem Jurium ſummæ ſedi quomodocunqne partorum remiſſius agit, inſignis calumnia foret, quæ ſolo Conſilio delectorum à Paulo III. Prælatorum, & quod Febronius ipſe multoties allegat, abunde diluitur.

Hadrianum VI. ab Italis non æſtimari, à Pallavicino Pontificem mediocrem vocari ea de cauſa, quia Curia reformare voluit, & Politicus non erat, hoc apprime falſum eſt: Paulus III. & Paulus IV. in reformanda Curia certo plus egerunt, quam Hadrianus VI., & tamen Pallavicinus Lib. 11. Cap. 6. num. 4. inſigne elogium eidem ſcripſit, dicens, *herois nomen apud Eccleſiam meritum fuiſſe*, & Sandini de vit. Pontif. rom. eum vocat *Pontificem longe maximum*, de Paulo IV. vero ait Sandini, ſe ita geſſiſſe, *ut & Cleri ſapiens cenſor*,

ſor, *& Cardinalium prudens emendator haberetur.* Romani ergo Cleri & Curiæ reformatores Pontifices non adeo abhorrebant, jmo potius encomiis celebrabant. Porro Hadrianus VI. ſuam mentis ſinceritatem male locavit apud Germanos acatholicos, qui vitia & reformationem quidem obtendebant, ſed eâ ſive per Pontificem ſive per Concilium factâ ad Sacra redire non intendebant; hinc nimia ſua ſinceritate nihil profuit, quin potius illi hanc Confeſſionem in triumphum duxerunt, atque inde in ſuo ſchiſmate ſe firmari & excuſari credebant.

Ulterius Febronius *Curiam ab Apoſtolica ſede* ſecernit, ne invicem confundantur. Hoc ipſi non denego, non invideo: etiam Principem à ſua Curia ſecerno; optatius enim cuivis ſubdito foret, à ſolo Principe non præoccupato audiri atque iudicari, quam à Miniſtris & ſua Curia. Verum quod inde concludit Febronius, omnino attentionem meretur; ſcilicet neminem debere terreri per *Brevia apoſtolica*, & expreſſiones ibi factas, quia poſſunt quidem fallere pietatem parum inſtruc-

ſtructam & ſuperſtitioſam, ſed nunquam fore ſanctæ Sedis oraculum, & audienda non eſſe.

Vellem libenter ſcire, utrum hoc vel Conſilium vel principium bonum, & revera adoptandum ſit? qui ita ſentiunt, ex iis quæro: an non idem de Reſcriptis, Edictis &c. Principum, quæ ab eorum Curiis, & ſub ipſorum ſubſcriptione emanant, tenendum ſit? en Conſilia! en Principia omnium Principum Curiis & aulis æque formidanda! quæ Populos ab officio & obſequio Principibus debito retrahunt, & tandem abſolvunt. Reſiſtatur Curiæ, ſervetur honor Principi, attamen non obediatur.

Febronius ſuis poſterioribus Tomis etiam libertatem Eccleſiæ, uti vocat, vindicaturus omnes iterum querelas, gravamina, exceſſus, defectus, abuſus, vitia, nimietates, uſurpationes (nempe qualia ipſe eſſe iudicat) vetera & recentiora, abolita & adhuc perſiſtentia, vera & falſa refricat, extenuat, Authores & acta iamiam allegata, atque nova identidem, quæ ſibi favent, producit: ſed

nec

nec numerus Authorum, nec acta, quantumvis publica præſcindendo à Pactis & Concordatis, hac in re præjudicium ferre poſſunt conſideratis circumſtantiis temporum, locorum, diſſidiorum, hominum, qui variis ſæpe, præſertim ſchiſmatis aut litis tempore, affectibus, & pro horum ratione etiam Principiis ac motivis regebantur. Hæc omnia quæſtioni theologicæ atque eccleſiaſticæ mere extrinſeca ſunt, utpote quæ talibus regulis ac fundamentis non innititur. Vel fors Poteſtas ſæculi Eccleſiæ legem dare debet, illa, quæ jam toties rationem ſtatus & ſua principia mutavit? hoc de ea Eccleſia dici poterit, quæ Caput amplius non habet, propria Poteſtate & Authoritate caret, quæ non habet fundamentum & Petram, ſupra quam fundata eſt, nec Paſtorem, cui oves paſcendæ commiſſæ ſunt. De Eccleſia vere catholica hoc dicere, S. Scriptura, traditio & ipſa Eccleſia prohibent.

Fateor, multis ſæculis etiam multa auſa fuit Eccleſia, Pontifex, Epiſcopi in temporalia, quin inde præjudicium Poteſtati ſæcu-

lari

lari tum inferri credebatur, eo quod hæc volentibus, conſentientibus, & flagitantibus ſæpe Populis atque Principibus facta ſint, quodque eo minus negari poteſt, quo magis id invicte ex hiſtoria temporum & authenticis teſtimoniis demonſtrari valet, & ſoli non eruditi ignorant. Sed num ideo ea omnia mala fuerunt, quando talia principia & rationem ſtatus ferebant Nationes, Principes, Populi? modo illa principia & rationes ſtatus politici mutata ſunt: jam Principes, Magiſtratus non amplius conſentiunt, detrectantur, contradicunt: quis adverſatur? habeant, & exerceant illi libere ſuam Poteſtatem! aſt quia olim Eccleſia volente vel conſentiente Poteſtate ſæculari nimium potuit, valuit, exercuitque in Imperio: num etiam modo Imperium & Poteſtas Sæcularis in Eccleſiam tantum vel nimium poſſit, valeat, exerceatque? nequaquam. Eccleſiæ principia ſunt immobilia, Lex divina repugnat, & Eccleſia non ſui, non humani juris eſt, talia non admittere, conſentire, minus flagitare poteſt.

Dicit

Dicit Febronius, adhuc perſiſtere in Ecclesia romana uſurpationes, abuſus, exceſſus &c. de his ſuperius jam reſpondi, falſitatis etiam convincendo Febronium. Fuiſſe abuſus, exceſſus, non nego, adhuc aliquos eſſe, de hoc non contendo; ſed uſurpationes eſſe, eos omnes, quos Febronius & Adverſarii prædicant, revera abuſus eſſe, tot & tantos eſſe, prout illi volunt, conſtanter pernego. Plura de his jam dixi, ut amplius repetere tædeat.

Quo ſenſu dicatur Poteſtas pontificia ligari & non ligari per Pacta & Concordata, cum Barthelio jam expoſui. Pariter dum aliud factum refricat, extenuatque de Henrico IV. Galliæ Rege: ſcandalum adhuc perſiſtere, aiens, dum Sixtus V. & Gregorius XIV. declararunt, Henricum IV. excidiſſe omni jure ad Coronam & Regnum Galliæ: ut de hac re impartiale judicium feramus, eam non ex hodiernis, atque mutatis ſtatus principiis ac ſenſu, ſed ex principiis tunc ſtantibus, & circumſtantiis concurrentibus illius ævi, quo hæc contigerunt, penſare debemus.

mus. Iſta declaratio tunc Scandalo non fuit fœderatis Principibus atque Magnatibus, qui eam à Papa expoſcebant, & juramento ſeſe adſtrinxerant ad defenſionem Religionis, & repulſionem Principis hæretici: ſcandalo non fuit Regi & Aulæ Hiſpaniarum, qui jam cum Pontifice contra Henricum manus jungebant: ſcandalo non fuit Sorbonæ, quæ poſt mortem Cardinalis Barbonii edito decreto ſancivit, Jure divino nefas eſſe, Regem hæreticum admittere. En eo ævo Principia Regis Hiſpaniæ, Magnatum Galliæ & ipſius Sorbonæ, quæ cum Pontifice & Aula romana omnino concordabant. Habuit Pontifex & alia motiva ſpecialia, bono & utilitati Eccleſiæ penitus conformia, quia Rex hæreticus, qui eſt extra Eccleſiam, non poterat eſſe defenſor Eccleſiæ catholicæ. neque alia jura à Poteſtate eccleſiaſtica dimanantia exercere, uti ſunt nominationes & collationes ad dignitates & beneficia eccleſiaſtica, quæ jam tum videbantur Coronæ annexa. De reliquo etiam Principes & Magnates Eccleſiæ filios eſſe, atque excomunicari poſſe, probatione non indiget, omni

Catholico certum eſt, hoc vetus docuit, & facto demonſtravit Eccleſia.

Si Papa olim ſe in electione Imperatoris, & erectione novorum Electoratuum immiſcere voluit, tunc notum eſt, Imperium Græcorum in Occidente opere ſummi Pontificis in Francos translatum, ac quaſi de novo fundatum fuiſſe, uti Bellarminus contra Illyricum invicte demonſtravit. Non neſcis, ab eo tempore in creatione, coronatione, vel etiam abdicatione Imperatoris, conſentientibus, probantibus, quandoque petentibus Principibus Germaniæ, non minimam ſummi Pontificis authoritatem & partem fuiſſe. Non dico, ei hoc jus ratione Primatus deberi, vel Poteſtatem habere in temporalia Imperii, ſed quod conſenſu & voluntate Principum probatum, receptum, & tamdiuconſervatum fuit, id Pontifici vitio verti non debet.

Repono tibi argumentum ad hominem: Poteſtas ſæcularis hodie multa ſibi arrogat in Sacra, Eccleſiam, Diſciplinam, bona & Perſonas Eccleſiæ &c. Quo fundamento?

talia

talia antiquitus conſentientibus, probantibus, ſæpe rogantibus Epiſcopis ab Imperatoribus & Magiſtratibus facta fuiſſe monſtrantur; inde argumentum ſumunt politici, & jam illud jus Poteſtati ſæculari inhærens & annexum eſſe prætendunt. Hæc ratiocinatio apud politicos ſi valeat, cur non liceat Poteſtati eccleſiaſticæ eodem fundamento uti, & è contrario argumentari?

Si denique circa appellationes, judicia & lites in partibus finiendas Roma Nationem germanicam adhuc gravat, & neque Nuntiis apoſtolicis, qui in partibus exiſtunt, committenda eſſe cenſentur: Epiſcopi Germaniæ econtra talibus negotiis ſe occupare nolunt; quibus dein hæc negotia committenda erunt? quid nunquam de Commiſſariis proponendis & conſtituendis cogitatum fuit, qui nec Germaniæ, nec Romæ eſſent ſuſpecti, ſatis docti, experientiâ præſtantes, à præjudiciis liberi, & omnium partium ſtudio alieni, & à quibus partes nunquam perhorreſcere vel excipere poſſent? non ambigo, tales in Germania inveniri viros: ſed

quia Roma eos non novit, & hodie ſemper rariores fiunt, hinc etiam iis negotia committere non valet, & certe quibuscunque ea committenda non ſunt. Cujus nam eſt, media præparare, ut finis obtineatur, & interim quid querelæ ingeminantur?

Tandem quidquid poſtea in ſuis libris de libertate Eccleſiæ hinc inde adhuc ſpargit Febronius, jam centies ad incudem revocata, explicata vel confutata ſunt.

Iſtud in hac materia aut quæſtione firmiſſime tenemus, plurimum aberrare, qui Poteſtatem non ſecernit ab uſu, & rectum uſum ab abuſu, quique quantum ad Poteſtatem in Eccleſia, ſubordinationem divinitus inſtitutam tollit, aut non præſupponit. Equidem non intelligimus Poteſtatem exlegem quidquid libendi aut faciendi, ſed ſuis regulis circumſcriptam, quæ tamen pro bono, neceſſitate & unitate Eccleſiæ omnia poteſt, Claves ad id donante domino quæcunque ligandi & ſolvendi, atque hoc ipſo, quod Poteſtas reliquorum Epiſcoporum propter bonum unitatis Poteſtati Capitis ſubordinata

ſit,

ſit, & in uno concentret, ſequitur, eam Poteſtatem, quæ in reliquis diviſa eſt, in illo uno debere præexiſtere, eidemque principaliter & eminentius inhærere, cui reliquorum Poteſtas ſubordinatur. Hæc autem ſupereminens Poteſtas, quamvis ſeſe non ſemper exerat, uti ait Thomaſſinus, quamdiu nempe ea, quæ ſubordinata eſt, iugi vigore ac ordine procedit, inde nequaquam ſequitur, illam principalem haud exiſtere, vel ſe nunquam aut nullibi exerere debere vel poſſe. Non igitur bene concluditur, ſummum Pontificem, quod aliquando non exercuit, pro ſuprema Poteſtate ſibi in Eccleſia tradita, etiam nunquam exercere poſſe, uſurpationem, abuſum eſſe, verbo nullam ad id poteſtatem habere; à non actu enim ad negationem potentiæ non eſt legitima ſemper argumentio, præcipue in moralibus.

De abuſu, uſurpatione, exceſſu ſi ſermo eſt, quis unquam ſanus propter hunc etiam rectum uſum & Poteſtatem negavit? Principes, Magnates, Potentes, Sæculi quoties ſua poteſtate abuſi ſunt, exceſſerunt,

gravarunt ſubditos &c.? ſed quis inde omnem poteſtatem civilem è mundo eliminandam arguit? vidimus, ipſa Concilia, quandoque maxima, ſua poteſtate abuſa fuiſſe, uſurpaſſe, jura non ſua; num ideò ſua authoritate & poteſtate legitima carebunt, & dum nimium egerunt, id quod nimium non eſt, agere non poterunt? Porro non omnia, quæ inferiores quomodolibet gravant, aut pro temporum circumſtantiis noviter inducuntur, vel mutantur, ſemper abuſus, exceſſus ſunt - talia ſi ferre non vis, omni Poteſtati te ſubtrahere, & à mundo ut exeas, neceſſe erit.

Caput IX.
De
Mediis recuperandæ libertatis eccleſiaſticæ.

§. I.

Semper invigilandum: & caute attendendum ad omnes romanæ Curiæ paſſus, vero Juri ſacro contrarios, & ſingularum Eccleſiarum præjudiciales. Ipſa, ut hoc faciamus, nos monet Religio.

Cum ab ævo Caroli M. romani Præſules facti fuerint Domini & Principes tempo-

rales.

rales, ab eo tempore de augenda ſua Poteſtate & Authoritate nunquam non cogitarunt. Quid Poteſtatis & Jurisdictionis in regna prætenderint, & exercuerint, inutile eſt referre: quod ſupremum omnium bonorum eccleſiaſticorum dominium affectârint, ex ſola *Annatarum* impoſitione & perceptione intelligitur. Impedire prætenſa hæc jura, non eſt lædere legitima eorum jura: illa eis permittere, eſt culpabiliter negligere, quæ nobis & Eccleſiis debemus. Dum romana Curia omni excogitabili ſtudio laborat, ut authoritatem ſuam, quomodolibet partam tueatur, & augeat, pari contentione recuperare debemus antiquas noſtras poſſeſſiones & libertates ſub præſidio ipſius Religionis, relicta primæ ſedi legitima Poteſtate, & ſeparatâ eâ, quæ ignorantia, ſuperſtitio, ratio politica adiecit. Quod monet MuratoriusLib. de Ingen. Moderat. *de Eccleſia.* Non ſolum zelum, non ſolam pietatem conſulendam eſſe, ſed *Scientiam* quoque & *Prudentiam*, id magis *de Papa* tenendum eſt. Circa romani PontificisPoteſtatem, *Scientiæ* face uſus eſt Febronius, nunc *Prudentiæ* regulis utendum eſt.

1. Quorum dignitas læſa eſt, videre eſt, an non honor & conſcientia eos obligent, ad congrua quævis media adhibenda, ut ordini epiſcopali priſtinum decus & canonica independentia reſtituatur. Res ardua eſt: *deeſt*, ait Seneca, *remedii locus*, *quia quæ fuerunt vitia*, *mores ſiunt*. Sed animo deſpondendum non eſt, dantur his malis media, eaque canonica.

2. Non poſſumus eſſe nimis attenti ad omnia Reſcripta romanæ Curiæ. Supponi poteſt & debet, hanc, ejusque Miniſtros ſuis ſemper inſtare principiis, easdem nutrire prætenſiones, & ſemper intendere, ut redigantur in uſum. Scripſit Pius II. ad Carolum VII. Galliæ Regem Epiſt. 374. *unum à te petimus*, *chariſſime fili*, *ut doctoribus ſedis apoſtolicæ ſemper non credas*, *multa illorum paſſionibus tribuas*.

3. Ariſtoteles ait, quod in Republica bene temperata oporteat maxime caveri puſillum, quia furtim irrepens transgreſſio fallit, ſicut rem familiarem minuti ſumptus crebro facti. Hoc præceptum politicum ro-

mani

mani curatius ſervant, quàm multi alii. Adducit exemplum, ubi cuidam Canonico in ſtatuto diæceſano, ne quis ad majores ordines admittatur, niſi integro Biennio Theologiæ aut Juri canonico in ſtudio publico vacaverit, diſpenſare noluit Epiſcopus: ſed diſpenſavit Roma. Diſpenſationem non admittenti Epiſcopo miſſæ ſunt litteræ graviter adhortatoriæ, ut ſupremam in hac parte pontificiam authoritatem revereatur.

Nota.

Verbis ſuis non ſtat, neque ſincere agit Febronius. In fine prioris Capitis Pontifices vindicare vult, excuſat, econtra Curiam romanam accuſat. Jam mox iterum initio hujus Capitis Pontifices de ambitione, dominatu, uſurpatione condemnat; ſiccine & Pontificibus & Lectoribus illudit. Interim à tempore Caroli M. plures Pontifices optimi atque ſanctiſſimi, aliqui etiam ob vitæ Sanctimoniam publico in tota Eccleſia honore donati ſunt, & tamen juxta Febronium hi omnes *de augenda ſua Poteſtate & Authoritate nunquam non cogitarunt.*

Quo dein titulo, quibus cauſis & circumſtantiis ſe olim Pontifices immiſcebant in cauſas Regnorum & Imperii, dixi ſupra §. fin. præcedentis Capitis, & præcipue Cap. III. §. 10. De Annatis dictum fuit Cap. VII. §. 5. in Not. & alias ſæpe. Quale jus rom. Pontifici competat circa bona eccleſiaſtica, ante omnes Iſidori decretales diſcimus ex ipſa S. Scriptura in actis Apoſtolorum, ex traditione, præſertim ex Simplicio P. Epiſt. 3. ad Florentinum, Equitium & Severum Epiſcopos apud Labbe. Tom. 4. Concil. pag. 1069. ex Gelaſio I. Epiſt. 9. Gregorio M. L. 5. Epiſt. 44. alias 42. aliisque, uti videre eſt apud Launoium Lib. de Cura pro miſeris. Et Thomaſſinum de vet. & nov. diſciplina Part. 3. lib. 2. Cap. 13. & 14. Sed quare Febronius hoc loco binos ſolummodo abuſus, vel uſurpationes, uti vocat, opponit, nempe prætenſum jus in Regna, & bona eccleſiaſtica per annatas, quando alibi innumeras fere producit, utique non alia de cauſa, quam quod hæc duo Puncta etiam Principes ſæculares magis pungant, atque in rom. Pontifices ſollicitent, & inde ſua conſilia faciliorem

in-

ingreſſum inveniant. De cætero Febronius hactenus *ſcientiam* utique oſtendit, ſed *huius mundi*, quam reprobat Apoſtolus; videamus, qua *Prudentia* nitantur eius Conſilia?

Ad 1. Quænam eſt illa *canonica independentia*, quam prædicas, & ad quam reſtituendam honor & conſcientia obligant? Eccleſia ſemper ſubordinationem inter Miniſtros agnovit, tenuitque, & Concilium tridentinum Seſs. 24. Can. 6. &c. de ſacram. Ord. *annathema* dicit ei, qui negat, *in Eccleſia catholica eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris.* Poſtquam Chriſtus Petrum fundamentum Eccleſiæ, & univerſalem Paſtorem inſtituit, aliorum Paſtorum ſubordinationem ad hunc Primatem divinitus conſtitutam fuiſſe, ſemper creditum fuit: Jure humano per Canones etiam ſubordinatio & dependentia ad Metropolitas, Primates, Patriarchas introducta. Febronius econtra in Epiſcopis *canonicam independentiam* ſtatuit, & ad hanc conſequendam præbere vult *media Canonica.*

Ad

Ad 2. Febronius pro certo ponit, Romam ſemper & ubivis non niſi ſua, imo potius non ſua, ſed aliena quærere! *hoc* ait, *ſupponi poteſt & debet.* Verum hæc univerſalem diffidentiam, quin & odium ingenerant: conſtantis inimicitiæ & odii, non Charitatis hæc lex eſt. En primum *medium canonicum* Febronii, en primam regulam, quam præſcribit, & quæ ex ſchola Chriſti certe non promanat, atque quod magis eſt, non contra privatum aliquem hominem, ſed contra Caput univerſale Eccleſiæ & centrum unitatis. Quis à tali Capite, cui tamen omnis reverentia & obſequium debetur, non perhorreſcat? quis non à tali Centro refugiat, unitatemque diſcindat? fruſtra hic diſtinguit, Febronius inter Pontificem & Curiam; mox ſupra ipſos Pontifices de vitiis & uſurpatione arguit, & Paragrapho finali præcedentis Capitis num. 7. docet, *Brevia apoſtolica* ſub inſcriptione Pontificis fallere, audienda non eſſe. Tandem quo *Canone* probatur hoc *medium canonicum.* Verba Pii II. ad Carolum VII. Regem Galliæ *Canon* non ſunt: & ſi recte monet Pius II., *Doctoribus ſedis apoſtoli-*

cæ

cæ non ſemper credendum, multa illorum paſſionibus tribuenda eſſe, num ideo ipſis quoque Pontificibus credendum non erit? hoc non dixit Pius. Rurſus ſi ipſe Pontifex ait, doctoribus romanis non ſemper credendum eſſe, hoc ipſo oſtendit, Pontifices non ſemper horum ſenſa atque ſententias ſequi, & amplecti, quo igitur jure Febronius omnes exorbitantes ſententias Merlini, Rubei, de Luca, Proſperi fagnani toti romanæ Eccleſiæ & Pontificibus paſſim affingere audet, vid. Cap. III. §. 11. in Not. Profecto miſerum authoris fatum! qui tam facile propriis argumentis refellitur; ſed maior adhuc ſtoliditas eorum, qui huic tanquam heroi tantopere applaudunt.

Dicit Febronius, illas ſententias in Curia adhuc practicari, ibi Curialiſtas talibus principiis imbutos eſſe: ſed talibus utique imbuti non erant loco mox citato Pius II. Paulus III., Hadrianus VI., delecti è Curia romana à Paulo III. Cardinales atque Prælati, & quamplures alii, quos ipſe Febronius in rem ſuam allegat. Si vero aliquæ illorum

Doc-

Doctorum ſententiæ Romæ adhuc hæreant, & practicentur, dico, non *omnes* omnino, ut Febronio videtur, falſas eſſe, atque has aliquas non ſemper in latiori & exceſſivo eo ſenſu, quo à Febronio vel iis doctoribus ſumuntur, intelligendas eſſe. Febronius undique generaliora & exceſſum aucupatur, in particulari nullum temperamentum agnoſcit. Sed ad hæc articulatim jam reſpondimus lo-lo ſupra cit.

Ad 3. Ut Roma juribus ſuis invigilet, juſtum, eóque magis neceſſe eſt, quo frequentius, hoc præſertim ævo, etiam jura ejus legitima in dubium vocantur, arrodun-tur, diripiuntur. Exemplum quod attinet, non dico, romanum Pontificem in ſtatuto diæceſano alterius Epiſcopi diſpenſare debere, aut facile poſſe, niſi ubi imprudenter vel premente paſſione diſpenſationem negaret Epiſcopus. Sed vellem ſcire: quare ille Canonicus ad Canonicatum collegiatæ Eccleſiæ receptus ſit, ſi ei ad majores ordines neganda erat diſpenſatio, & à jure ſuo jam quæſito iterum deturbandus foret? utique

Col-

Collatores & Electores ad Canonicatum ſtatutum diæceſanum ignorare non poterant, & ſi ignorabant, moneri debebant, ne eligant. Reticet inſuper Febronius cauſam & motivum, quod Imperator in ſua ſupplicatione pro diſpenſatione romana allegavit: his omiſſis judicium ſuper diſpenſatione romana ferri nondum poterit. Attamen diſpenſationem per ſubreptionem obtentam fuiſſe, conſtat ex eo, quia, ut ait Febronius, poſtea Epiſcopus monſtravit, non *ſtudii* ſolum, ſed quam maxime *morum* defectum obſtare diſpenſato, quo minus ad ſubdia conatum admittatur, & tunc Roma quievit. Sed hoc ipſum commonſtrat, non ſtatutum diæceſanum modo, ſed Canones quoque obſtitiſſe diſpenſando, atque Romam melius informatam iuſto moderamine uti, nec ſua jura & authoritatem ad invidiam extendere.

§. II.

Primum adverſus abuſum eccleſiaſticæ Poteſtatis Remedium eſt in apta inſtructione Populi.

Populus inſtruendus eſt circa ſua officia, Originem, legitimas prærogativas Primatus

matus romani, circa reverentiam, quam ſumma ſedes debet antiquis Canonibus : Paſtores & ſtatus primores inſtructi eſſe debent circa antiquam Eccleſiæ diſciplinam, jura Epiſcoporum, quod in omnia jura Apoſtolorum ſucceſſerint. Non poſſunt nimium multiplicari libri, de his materiis ſolide & ſine invidia conſcripti.

1. Author iterum in memoriam revocat abuſus & confuſiones ortas ex ignorantia & collectione Iſidori. Laudat artem criticam, & hiſtoriam ſacram generosè & prudenter excolendam.

2. Quia ſalus Populorum, pax Eccleſiæ & puritas morum cum ſcientiis arcte connectuntur, & hæ fortiſſimum ſunt repagulum adverſus ſuperſtitionem & fanatiſmum, vere eruditi debent cenſeri *nati defenſores Sacerdotii & Imperii*, atque Principes non poterunt nimio zelo protegere ſcientias, harumque cultores.

3. Superiori Sæculo plures viri egregii docti, probique propter defenſa jura regni & Epi-

Epiſcopatus à Satellitibus Curiæ romanæ haud levia incommoda tolerarunt, nec quam exſpectare poterant, à Principibus protectionem ſenſerunt, ſed fines utriusque Poteſtatis nondum ſatis cogniti erant. Qui glaciem frangunt, plerumque periculo non vocant.

4. Miratur author, quod extra Italiam non prohibeatur impreſſio & diſtractio librorum de exorbitantibus romanis prætenſionibus, econtra Itali ſuo ſyſtemati adverſa tam facile configant. Quæ propter hæreſin Romæ damnantur, devitentur: quæ propter politicas Curiæ rationes ibi locum habet, leges Romæ latas non obligare alibi, niſi debite promulgatæ ſint.

5. Narrat, qualiter in congregatione *Indicis* procedatur, ibi omnia pro arbitrio quatuor vel quinque regularium diſponi, Cardinales ut plurimum ſe judicio Conſultorum confirmare, Regulâ ſeptimâ Indicis expurgatorii præſcribi: *expungendæ ſunt etiam propoſitiones, quæ ſunt contra libertatem & Juriſdictionem eccleſiaſticam;* quia autem Jura Principum in mate-

riis eccleſiaſticis paſſim Romæ reputantur contraria immunitati eccleſiaſticæ, ideo libri & ſcripta, hæc jura aſſerentia, in Indicem librorum prohibitorum referuntur.

6. Teſte Salgado in Hiſpania Brevia apoſtolica de prohibitione talium librorum Rex penes ſe retinet, & executionem impedit. Hoc ad omnium Principum jura pertinet.

7. Quia Theologi romani ſuas opiniones, quamvis à multis Theologis & integris Eccleſiis impugnatas, pro catholicis veritatibus habere volunt, & oppoſitum non audent aſſerere errorem, ideo prohibent libros ſub comminatione cenſurarum: inſuper non conſtat, in revidendo libro de diligentia pro gravitate negotii, quod nulla paſſio, ſub- vel obreptio, Patrocinia, Potentum, Commendationes Principum interceſſerint, de ſuis cenſuris hominibus nolunt rationem reddere, aliquando non poſſunt; hinc notæ cenſoriæ non ſunt admodum formidandæ. Poſt Lagmannum, Gobat & alios obſervat Ignatius Heyegg, Indicem librorum prohibitorum

rum in Germania non eſſe receptum, quantum ad libros, qui à Catholicis non ſuſpectis ſunt compoſiti, etſi quædam contineant moribus fidelium non ſatis conformia, & Zallwein generatim refert, Indicem non tanti fieri, libros Romæ prohibitos ſine ſcrupulo legi, niſi placito epiſcopali tales prohibitiones ſint roboratæ & promulgatæ.

8. Si quis ſerio veritatis affectu calamum arripit, ejus opera immerito affiguntur. *Si inimicus inſultat*, ait Auguſtinus, *ferendus eſt, amicus autem, ſi docet, audiendus.* Papa veritatem à viris cordatis, maxime *exteris à domeſticis* ſerius aut nunquam, intelliget. Gregorius M. lib. 2. Epiſt. 52. ad Natal. Epiſcop. Salonit. ait, ſe, etſi loco ſupereminneat, ab omnibus corripi & emendari paratum eſſe, hunc ſolum amicum æſtimare, per cujus linguam ante apparitionem diſtricti Judicis ſuæ maculæ mentis tergantur.

9. Dum Papa librum cenſurat, cum reverentia accipiendum eſt, ſed ideo Prælati non debent oculos & aures claudere, & omnem cenſuræ cognitionem abjicere. Bene-

 dictus

dictus II. P. quædam S. Juliani Archiepiſcopi Toletani Scripta improbavit, Concilium toletanum XV. Orthodoxa eſſe ſuſtinuit. Idem contigit Eugenius IV. ratione quarumdum Propoſitionum Toſtati, quæ ipſi videbantur hæreticæ.

10. Quo jure Pontifex ſua vera jura tuetur, per cenſuras damnando Scripta illis adverſantia, eodem Epiſcopi & Principes proſcribunt libros ſuis genuinis & majeſtaticis juribus contrarios. Gallia hac in parte vigilantior eſt. Plures Epiſcopi Lectiones officii S. Gregorii VII. Breviario romano inſertas, per quas ſummi Pontifici jus in temporalia Regum aſſeritur, litteris paſtoralibus certatim damnarunt. Hæc exempla ſi aliæ gentes frequentius imitarentur, forte romani circumſpectiores redderentur in libris ex ſola ratione politica configendis. E numero talium librorum ſunt, qui Cap. II. §. 11. recenſentur.

11. Cardinalis de Luca *in relatione Cur. rom. Diſcurs.* 19. recte monet, in prohibitione librorum parce & circumſpecte procedendum.

dum eſſe. Addit, ad officium congregationis Indicis non ſolum pertinere materiam fidei & morum, ſed etiam de eccleſiaſtica Poteſtate ac libertate. Sed deplorando loco catholica res foret, ſi nævi Cap. III. §. 11. & Cap, VI. §. 13. & 14. indicati deberent referri ad eccleſiaſticas libertates, aut ſi noxa foret, illos ſcriptis inculpare ſpe obtinendæ emendationis.

12. Multis libris in Indicem relatis tuto applicabitur, quod ad Georgium Caſſandrum ſcripſit Andreas Maſius Doctor Lovanienſis, ipſi & ſuis ſcriptis infamiæ non futurum, quod nomen ſuum in invidioſum illum Catalogum relatum ſit, eum non ſatis diſplicere, meliusne, an pejus Caſſandro & ſuis ſcriptis conſuluerint homines maligni illa damnatione. Elogium dein Febronius Caſſandro ponit ex l'Advocat Dictionario hiſtorico.

13. Vere dixit Maſius, hanc condemnationem Caſſandro *infamiæ non futuram*, ſecus hæc infamia tangeret etiam delectos à Paulo III. quatuor Cardinales & quinque Præ-

ſules ob Conſilium de emendanda Eccleſia conſcriptum; hoc Conſilium, non vero explicationes Sturmii &c. à Paulo IV., qui & ipſe inter hujus Conſilii Authores & Subſcriptores fuit, damnatum eſſe, invicte probavit Georgius Schelhornius contra Cardinalem Angelum Mariam Quirinum. Eadem ſors tetigit celebre Commonitorium Hadriani VI. Ad ſuum in Germania Legatum Franciſcum Cheregatum datum.

14. Cum ſæpius ex Nationibus de prohibitione, & Catalogo Librorum prohibitorum querelæ ad Sedem romanam deferebantur, Benedictus XIV. Congregationi Indicis quinque regulas moderatione plenas, & magno Pontifice dignas anno 1751. in ſpeciali brevi præſcripſit, quibus obſervatis Febronius ſperat, opus ſuum impune elapſum iri.

Nota.

Ad 1. Studium antiquorum Canonum & Hiſtoriæ ſacræ revera plurimum commendandum eſt: ſed inſtruendi ſunt Lectores, ſolam Eccleſiam & RR. Pontifices, non Principes,

cipes,

cipes, non Scriptores, non eccleſiaſticos quosque Canonum authores eſſe, hanc Poteſtatem hodie adhuc in Eccleſia perſiſtere, poſſe novos condere, veteres abrogare, mutare, antiquare: ſecernendi ſunt Canones antiquati, aboliti ab iis, qui ſuam authoritatem & vigorem adhuc tenent, vel noviter ſunt additi, quosque Eccleſia uſu, praxi & obſervantia ſacravit. Inſpiciantur quoque veteres Canones, & patebit, Eccleſiam jam à temporibus Apoſtolorum propria authoritate diſciplinam ordinaſſe, eadem authoritate circa res, bona, perſonas Eccleſiæ diſpoſuiſſe; patebit pariter, romanos Pontifices circa hæc puncta leges, ſtatuta, ordinationes dediſſe, quæ inter Canones in tota Eccleſia obſervandos relata ſunt: legant veteres hos Canones hodierni politici, & Principum Aulis blandientes Theologi, qui jam totam diſciplinam Eccleſiæ, res, bona, perſonas Principi ſubmittunt, atque ad jura majeſtatica referunt: patebit denique, romanos Pontifices cauſas eccleſiaſticas in ſuo Tribunali ſummo jure & authoritate judicaſſe.

His itaque, qui continuo ad veteres Canones provocant, & hos ipſos eludunt, atque evertunt, perapte illud repono, quod Gelaſius I. in Commonitorio ad Fauſtum ſimilibus Pſeudo-Theologis objecit: *Nobis opponunt Canones, dum neſciunt, quid loquantur; contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primæ ſedi ſana, rectaque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus ſedis examen voluêre deferri; ab ea vero nusquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam per totam Eccleſiam judicare, ipſam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, ſententiamque illius conſtituerunt oportere diſſolvi, cujus potius decreta ſequenda mandarunt.* Obſervari meretur, hæc contra quosdam Epiſcopos & ipſos Eccleſiaſticos dixiſſe Gelaſium.

Quod ſi noſtro hoc ævo viveret ſanctus Pontifex, veriora & aptiora dicere haut potuiſſet. Hæc ſola verba tot famoſis & infamibus ſcriptiunculis atque Schediaſmatis, quæ hodie contra Papam, contra Clerum,

Regu-

regularem præcipue, cum plauſu divulgantur, opponere, & fronti eorum inſcribere, omni alia refutatione præſtaret. Opponunt Canones, dum neſciunt, quid loquantur, & ipſi contra Canones agere manifeſte ſe produnt. Videmus etiam, prout Febronius ſæpius in ſuo opere agit, eos clara teſtimonia & Canones ad aliorum obſcurum ſenſum revocare, inde per violentas detorſiones & interpretationes verbis longe alium ſenſum affingere contra ſanam rationem, & interpretandi leges, quæ jubent obſcura per clariora teſtimonia explicare: item quandoque facta particularia, ab Eccleſia nunquam probata, imo rejecta in jus & traditionem evehere, laudare, quæ magis cum Eccleſia damnare deberent. Profecto nimium hodie multiplicantur libri, qui de his materiis parum ſolide, magis petulanter, cum deſpectu ipſius Religionis, nec absque invidia conſcribuntur.

Quod de excolenda critica addit Febronius, certe ſanam & genuinam criticam non niſi inſanus repudiabit; ſed cum hodie tot

ſint, aut eſſe volunt Critici, quot levioris etiam Calami ſcriptores & laſciniorum editores, atque hi omnes gloriolæ alicujus ambitione vix non crepent, non niſi ſales, irriſiones, contemptum cum faſtu & audacia in quævis obiecta, quantumvis ſacra & religioſa ſpargentes, de iis veriſſime pronuntiari poterit, quod la Brouſſel ſcriptor gallicus *Tom.* 1. *Tractat. de malo uſu Critices in negot. relig.* ait, *compertum eſſe, quingentis retro Sæculis innumeram Barbarorum multitudinem occidentem univerſum occupaſſe, ſecumque Barbariem induxiſſe, quin ullum inde fides caperet detrimentum: vidimus autem rurſus litteras floruiſſe, ſtatimque criticem & hæreſin ſocias fideles æqua greſſu remotas perſequi, pari audacia eosdem fines prætergredi, easdemque Eccleſiæ leges proterere.* Hæc laus præprimis debetur illuminato & perſpicaciſſimo (ſi diis placet) huic Sæculo.

Vult Febronius ulterius, Epiſcopos intime perſuaſos eſſe, quod in omnia jura Apoſtolorum ſucceſſerint. Optime; ſed cum juribus ad eos etiam pertranſiit, de quo non

mi-

minus inſtructi eſſe debent Epiſcopi, grave Salvatoris monitum: *ne terreamini ab his, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*: & illud: *dum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Hæc ad vigorem epiſcopalem & officium intrepidi Paſtoris pertinent non enim ipſi in Aulis, & ab Aulis ſuam doctrinam addiſcere & haurire debent, ſed eorum munus eſt & ibi, & ubivis docere.

Dein in ipſa Apoſtolorum jura aliter non ſucceſſerunt, niſi cum ſubordinatione ad Petrum & Petri ſucceſſores, ſic ut omnia eorum jura non ſolum in Petri ſucceſſore & paſtore univerſali principaliter, & eminentiori modo præexiſtant, ſed & de ſuo munere paſtorali, & jurium exercitio eidem rationem reddere teneantur. *Huius muneris Sacramentum*, inquit S. Leo M. Epiſt. 10. alias 93. ad Epiſcop. Provinc. Vienn., *ita dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo, quaſi quodam*

dam Capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet. Item Serm. 3. in anniv. ſuæ aſſumpt. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi & omnibus apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in Populo Dei multi ſint ſacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Innocentius I. ad Patres Synod. Carthag. anno 417. *ad noſtrum referendum approbaſtis judicium, ſcientes, quid apoſtolicæ Sedi, cui omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota authoritas hujus nominis emerſit.* Eucherius, vel quisquis vetus author eſt ſermonis *de Natali Petri*, poſtquam dixerat, à Chriſto ea verba, tibi dabo claves regni Cœlorum &c., *principaliter* Petro dicta fuiſſe, attamen etiam de cæteris Apoſtolis, Epiſcopis, Sacerdotibus intelligi debere, ſubdit: *hoc Epiſcopi audiant, de munere gaudeant, de Poteſtate non ſuperbiant. Si enim ligaverint ut Petrus, ſi ita ſolverint, ut Petrus, quidquid ligaverint, ligatum erit, & quidquid ſolverint, ſolutum erit. — — — — Ideo enim ſoli illi dicta*

ſunt,

ſunt, ut omnes alii ſe in illo, quaſi in ſpeculo videant ſic vivendo, ſic ligando, ſic ſolvendo, & à pace & concordia non recedendo. Hæc omnia ſatis clara ſunt, quibus quàm plurima alia addi poſſent, & multa hactenus in notis dedimus: hac traditione veriſſima, tali doctrinâ præprimis inſtructos oportet eſſe Epiſcopos.

Ad 2. & 3. *&c.* Æquum eſt, ut ſcientiæ protegantur, colanturque: addo tamen, non *Eruditos*, ſed *eruditos ſimul & ſolide doctos* cenſendos eſſe *natos defenſores* Sacerdotii & Imperii; docti enim argumenta rite ponderant, apte concludunt, non clara teſtimonia & verba per obſcuriora obnubilant, non argutias pro argumentis vendunt, non ſua ſenſa & interpretationes pro genuina authoritate & jure obtrudunt, nec æquivoca ab invicem non ſecernunt, & inde, quidquid lubet, quaſi pro certo concludunt. Hodie multi eruditi ſunt, aut eſſe volunt; attamen docti non ſunt. Si ſuperiori Sæculo quidam propter defenſa jura Regni & Epiſcopatus, ut ait Febronius, protectionem non ſenſerunt,

runt, inde evenit, quod illa tanquam jurâ tum non agnoſcebantur, quia plures adhuc inventi fuerunt docti, qui eos ſolide refutarunt, & quia illud Sæculum propinquius erat defectioni à Religione catholica, ubi omnibus apertius conſtabat, ex ore hæreticorum illa principia atque ſyſtemata mutuata fuiſſe; proin omnibus merito, ſatisque ſuſpecta erant, nec protectionem mereri viſa ſunt. Hodie poſtquam Religio iam ad meram Politiam ſtatus reducitur, libertas ſentiendi in materia Religionis permiſſa eſt, atque pro Erudito non habetur, qui non noviora ſemper ſectatur, mirum non eſt, tales homines & laudem & fidem in tanta novandi prurigine ſibi promereri, quantumvis tandem vera Religio, & quidquid cum Religione cohæret, in contemptum abeat.

Poſt hæc Febronius ad finem uſque de cenſura, correctione, & Indice librorum prohibitorum diſcurrit:, ait, tales cenſuras & prohibitiones romanas formidandas non eſſe. Vernm an non eodem oculo licet intueri cenſuras & prohibitiones, quæ è contrario contra

eos

eos libros fiunt, quibus jura rom. Pontificis & Eccleſiæ vindicantur? num in revidendis his libris juſta diligentia adhibetur? an nullum præiudicium, nulla inordinata paſſio, nulla præventio judicii & ſyſtematis, nulla ſub- vel obreptio intercedit? profecto ſufficit hodie, librum aliquem Romæ & romano ſyſtemati non favere, cenſuram malam haud effugiet, & iamiam cum indignatione atque contemptu abiicitur.

Roma ſuis inſiſtit principiis non qualibuscunque ſuorum Doctorum, ſed legitimis, certis, traditione, authoritate & Praxi firmatis: econtra à Politia ſæculi hodie nova adoptantur, atque figuntur principia ſub obtentu primævæ diſciplinæ & veterum Canonum, qui tamen per illa ipſa ſæpius conculcantur: adhuc hæret quæſtio, & circa hæc ipſa principia proponitur, utrum inſtituto Chriſti, evangelicæ doctrinæ, authoritati, libertati, bono Eccleſiæ & Religionis ſint conformia? utrum per hæc ipſa Poteſtas hierarchica nullum detrimentum aut præiudicium patiatur &c.? nihilominus illa iamiam

pro

pro veritate venditantur, iis contradicere piaculum eſt, Aularum aſſentatores cohortim ea amplectuntur, tales in cenſores & correctores aſſumuntur, qui eadem ad medullas uſque imbiberunt. Quis credat, hos ab omni partium Studio atque præiudicio liberos fore? prodeat iam liber, qui doceat, talia principia inſtitutioni, Spiritui, doctrinæ Eccleſiæ conformia non eſſe, ſacra profanis miſceri, ſervitutem in Eccleſiam induci, ipſam Poteſtatem epiſcopalem tandem alienis vinculis conſtringi, aut quævis alia, quæ ad guſtum non ſunt, ſeveriſſimam cenſuram haud effugiet, etſi invictis argumentis id demonſtraverit; non enim argumenta ponderantur, non veritas quæritur, ſed ratio ſtatus qualibuscunque principiis innixa præponderat, defenditurque.

Inter cætera verè ridiculum eſt, quod Febronius, volens romanas cenſuras in contemptum adducere duos Jeſuitas alleget, quos paſſim inter Satellites romanæ Curiæ collocat, Laymannum ſcilicet & Gobat; Laxiſtas Probabiliſtas, à quibus alibi non abhorrere iubet:

bet: ſed ſuæ ſententiæ laxiſſimæ talia fulcra ſubſtituere omnino neceſſe habuit! tradunt autem hi teſte Febronius, *Indicem Librorum prohibitorum in Germania non eſſe receptum, quantum ad libros, qui à Catholicis non ſuſpectis ſunt compoſiti. Etſiamſi quædam contineant moribus fidelium non ſatis conformia.* Si non ſatis conformia ſunt, tunc ſaltem aliqua ex parte difformia erunt moribus fidelium; ſed dicat Febronius, utrum tales libros legere, doctrinam in iis contentam amplecti, decreta lectionem vetantia abijcere, ſit doctrina in Eccleſia vere probabilis? Medice cura te ipſum, qui omnia ad rigorem veteris diſciplinæ revocare te ſimulas. Falſitatis quoque Febronius rurſum convinci debet, dum ait, Benedictum II. P. quædam improbaſſe, quæ Concilium toletanum XV. orthodoxa eſſe ſuſtinuit. Antonius Sandini *in vit. R. R. P. P. annotat. ad Benedict. II. num.* 2. ait: *Rodericus toletanus Archiepiſcopus parum in romanum Pontificem æquus fuit, ſcribens apud Baronium ad ann.* 685, §. 5. *hiſpanorum Epiſcoporum Epiſtolam ſeu librum de tribus ſubſtantiis minus caute tractando Benedictum Papam*

indixiſſe reprobandum. Non prolatas in eo libro ſententias Benedictus reprobavit, ſed explanari voluit ad tollendam ambiguitatem, quod Biennio poſt in Concilio toletano XV. obedienter factum eſt.

Pariter de Toſtato falſi inſimulatur Febronius. Ille inter cætera hanc propoſitionem aſſeruit: *à pœna aut à culpa Deus non abſolvit, nec aliquis Sacerdos abſolvere poteſt.* Confer. Raynald. ad ann. 1443. num 24. & du Pleſſis d'Argentrée Collect. Judic. eccles. tom. 1. Part. 2. ad ann. 1443. hanc ſententiam Toſtatus datis ad Eugenium IV. litteris non tam explicavit, quam revocavit, ajens, *non intendi, nec nunc intendo negare Poteſtatem Dei, nec Sacerdotum in abſolvendo. ---- Papa etiam poteſt abſolvere ab omnibus peccatis, & poteſt dare plenariam indulgentiam, liberando hominem à tota pœna purgatorii, & hoc eſt, quod Papa habet clavem liberam ſuper totum Theſaurum Eccleſiæ &c.* Tandem omnia ſua dicta determinationi & correptioni ſummi Pontificis ſubjicit. Quis igitur veram doctrinam tenuit? anne Eugenius, vel Toſtatus, qui ſuam revocare debuit? eſt autem Toſtatus

ſtatus heros Febronii, fuitque in Concilio baſileenſi eximius.

Quod attinet litteras paſtorales & declamationes quorumdam gallorum Epiſcoporum contra lectiones officii de S. Gregorii VII. P. nihil moror. Etiam Reges ac Principes clavibus Eccleſiæ ſubjici, & excommunicari poſſe, certum eſt. Ottonem Friſingenſem, qui à parte Imperatoris aperte ſtetit, ſequuntur multi antiqui & recentiores, exiſtimantes, Gregorium VII. omnium primum ſibi uſurpaſſe jus excommunicandi, & à regia poteſtate deponendi. *Lego, & relego*, ait Otto Friſing. Lib. 6. Cap. 35., *romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nusquam invenio, quemquam eorum ante hunc Henricum IV. à rom. Pontifice excommunicatum aut Regno privatum.* Reſpondet Bellarminus: Arcadium Imp. ab Innocentio I. propter ejectionem S. Joannis Chryſoſtomi excommunicatum fuiſſe, teſtatur Nicephorus Lib. 13. Cap. 34. Leonem Iſaurum à Gregorio II. & III. excommunicatum propter hæreſin Iconomachorum, & vectigalibus Italiæ privatum, te-

ſtantur Hiſtorici græci & latini, atque inter illos Theophanes, Cedrenus, Zonoras. Legimus in Epiſt. 6. Symachi P. adverſus Anaſtaſii Imp. Libellum famoſum apud Labbe. Tom. 4. Concil. pag. 1298. *Nos quidem Poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Cæterum ſi omnis Poteſtas à Deo eſt, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum ſi tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.* Item S. Chryſoſtomus Hom. 71. in Math. *tu vero cum audias, reddenda eſſe Cæſari, quæ ſua ſunt, illa ſolum dici non dubita, quæ pietati ac Religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac veritati obeſt, non Cæſaris, ſed diaboli tributum & vectigal eſt.* Si talia in antiquis Scriptoribus & Patribus legamus, quare ſimilia in vita S. Gregorii VII. legere non liceat? Nos equidem Poteſtatem privandi à regno inter pontificii Primatus jura non numeramus, quibus autem concurrentibus cauſis & circumſtantiis id quandoque factum ſit, jam alibi diximus.

De

De cætero S. Pontifex Gregorius VII., dum viveret, laudum ſuarum obtrectatores habuit impudentiſſimos: ſed hi alii non erant, quàm Imperatoris Henrici Fautores, Aſſentatores, & multi Eccleſiaſtici, qui emendationem morum ac diſciplinæ ferre non poterant, & quibus Simoniam, concubinatum, luxuriam prohibuit. Habuit nihilominus eodem tempore ſuæ famæ & geſtorum defenſores eximios, S. Anſelmum lucenſem, Paulum bernriedenſem, Gerohum reicherſpergenſem, Lambertum ſchafnaburgenſem, qui teſte Baronio ad ann. 1074. §. 35. ejusdem temporis Scriptor, & rerum geſtarum inſpector ait: *apud omnes ſanum aliquid ſapientes luce clarius conſtabat, falſa eſſe, quæ dicebantur. — — -- Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo, & pro eccleſiaſticis legibus ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Veteres in Gregorium calumnias renovarunt heterodoxi, confutati à Bellarmino, Gretſero, Vincentio Ludovico Gotti, & fuſiſſime de Blanc: priores hodie ſequuntur multi Pſeudo - eru-

diti &c., qui hujus ſancti memoriam penitus delere volunt : ſed hi omnes Gregorium è cœlo non deturbabunt, nec ſuis calumniis fidem conciliabunt, quamdiu allegatas Apologias & argumenta pro Gregorio ſolide non refutaverint, quod tamen præſtare nunquam valebunt.

Magnum pondus adhuc contra Indicem librorum adjicere ſe exiſtimat Febronius ex Caſſandro & Maſio; ſed ab his viris profecto teſtimonia mutare haud debuiſſet. Quidquid de Caſſandro dicat l'Advocat, Caſſandri liber *de officio boni viri in hoc Eccleſiæ diſſidio* inſcriptus neque Catholicis, neque Acatholicis probatus fuit. Is non ſolum Romæ proſcriptus fuit, ſed & in eundem ſub nomine Balduini, quem Authorem eſſe putabat, acerbe invectus eſt Calvinus, atque nullibi laudem tulit.

Quod *Conſilium de emendanda Eccleſia* quatuor Cardinalium & quinque Prælatorum à Paulo III. delectorum dein ſub Paulo IV., qui & ipſe unus hujus Conſilii Author & Subſcriptor fuit, damnatum & in indicem

libro-

librorum prohibitorum relatum fuerit, à vero aberrat: Schelhornium refutavit Cardinalis Quirinus iterum Reſponſo dato die 9. Decembris Anno 1747. prior autem Schelhornii Epiſtola, quam citat Febronius ſignata fuit die 15. Septembris eiusdem anni, proin reſponſum Quirini non legit Febronius, & Pœana canit ante Triumphum. Idem de Commonitorio Hadriani VI. dici poteſt. Vide etiam Illuſtriſs. D. Manſi in Not. ad Hiſtor. Natalis Alexandri in Paulo III.

Tandem ſi Regulæ Correctoribus Romanis à Benedicto XIV. præſcriptæ tam bonæ, æquæ & moderatione plenæ ſunt, non habes modo amplius, quid contra illos & Indicem librorum prohibitorum conquераris? utinam easdem & alibi, & ubivis correctores & cenſores librorum ſequerentur! quis autem credat, vel unde probare poterit, easdem Romæ non obſervari? quamquam his ad amuſſim obſervatis liber Febronii ob iuſtiſſimas cauſas nihilominus impunis evadere non potuit.

 §. III.

§. III.

Alterum Remedium ponitur in Concilio generali libero.

Galli ad tollendas difficultates inter Nationem, & romanam Curiam proponunt viam amicabilis Conferentiæ cum Papa. Hic non agitur de gravaminibus unius Populi, ſed univerſalis Eccleſiæ, unde pro remedio potius convocatio Concilii univerſalis ſuadenda, urgenda & apprehendenda erit. Sed petitur tale Concilium, cuius partes & Dotes deſcriptæ ſunt. Cap. VI., ſcilicet ut Papâ illud congregare recuſante, convocetur ab aliis, ibi §. 3. ut ſit liberum, & Pontifex ſe ejusdem deciſionibus agnoſcat ſubiectum ibi §§. 1. 5. & 6. de Appellationibus à Papa ad tale Concilium legitimis & licitis, vide ibi §. 10. & 11. In tali Concilio quæri & determinari poſſet, quænam legitimo uſu & conceſſione Epiſcoporum ac Principum romanæ Sedi adquiſita dici debeant, quorſum pertineant translationes, erectiones novorum Epiſcopatuum, jus abſolvendi & diſpenſandi, atque ſimilia. Quæ enim manifeſte abuſiva

ſiva ſunt, etiam citra Concilium univerſale emendari poſſunt.

1. 2. 3. 4. 5. Notus eſt horror Pontificibus & Curialibus inde à Concilio conſtantienſi & baſileenſi injectus ob unicum metum Reformationis. Qualibus mediis compulſivis uſa ſit Gallia ad reaſſumendum Concilium tridentinum, decennio interruptum, refert Author ex Thuano Hiſtor. Tom. 1. Lib. 25. & Tom. 2. Lib. 28., ubi Galli minitabantur, ſe ocius Concilium nationale celebraturos.

Nota.

Quæ Febronius tanquam certa jam præſupponit hoc loco, ibi Capite VI. & alibi nondum invicte demonſtravit, imo falſa ſunt. Quippe falſum eſt, ea omnia vera gravamina, & quidem univerſalia, atque uſurpationes eſſe, quæ ipſe pro talibus venditat. Dein Concilium ſine Papa nequaquam univerſale eſt & æcumenicum: cujus ſit convocare Concilium, dillucide citato Capite in Notis demonſtravimus: Pontifex aliis Concilii ſanc-

tionibus non ſubiicitur, niſi quæ vel conſentiente, vel approbante ſede apoſtolica conditæ ſunt: appellationes à Papa ad futurum Concilium nunquam licitæ, nunquam validæ ſunt. Videat Lector, utrum non potiora & magis convincentia ſint noſtra argumenta, quæ ad quodvis punctum Cap. VI. in Notis dedimus. Sufficiat hic repetere, quod ex Gelaſio I. P. in Anathematiſ. contra fautores Acacii certum eſt: *quod firmavit in Synodo Sedes apoſtolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem.* Si de hac certa & catholica ſententia in Gallia dubitari exiſtimas, non ignorabis, ſæculo VIII. Epiſcopos gallos ad iudicandum Leonem III. in Concilio romano coram Carolo M. conclamaſſe: *Nos ſedem apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, iudicare non audemus; nam ipſa nos omnes iudicat, ipſa à nemine iudicatur, quemdamodum antiquitus* mos fuit. Anaſt. in Leone III.

Ivo Carnotenſis Epiſt. 236. cum Epiſcopis ſenonenſis Provinciæ, cum ageretur de degradatione Paſchalis II., ſcribit: *non videtur*

tur nobis utile, ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas Perſonas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec noſtro, nec ullius hominum probantur ſubiacere judicio. Et infra; *quia principales Eccleſiæ claves nolumus ſua poteſtate privare, quæcunque Perſona Petri vices habeat, niſi manifeſte ab evangelica veritate diſcedat.* Taceo S. Avitum Vienn. in cauſa Symmachi P., Hincmarum rhemenſem, Petrum de Marca & alios.

Tandem quam ridiculum eſt, poſt octodecim fere ſæcula in Eccleſia adhuc quærere, ad quem hæc vel illa jura pertineant? poſtquam iam toties exercita ſunt, & exerceri debuerunt. Exiſtimant hodierni ſcioli, ſe plus ſcire, & ſapere, quam omnes retro Patres & Doctores in Eccleſia valuerunt. Porro à tali Concilio libero Pontificem excludit Febronius; ſed eadem de cauſa, & eodem jure excludendi forent Epiſcopi atque Principes, ſi ita ratiocinari libet; cauſa nempe verſatur inter Epiſcopos & Principes ex una, atque Papam ex altera parte: Concilium judicium ferre debet volente Febronio;

Sic

Sic Papa pars eſt, ſed etiam Epiſcopi & Principes accuſatores pars ſunt: in legitimo autem judicio, & ubi forum competens eſt, partes, ſcilicet nec accuſatores, nec reus, nec teſtes Judices eſſe valent: excluſis autem Papa & Epiſcopis ubi remanebit Concilium?

Per Concilium Nationale vero, ubi res poſtulat, & in defectu Concilii univerſalis provideri poſſe, nemo negat; ſed tale Concilium nationale infallibile, & per iſtud rem ultimato deciſam eſſe, etiam nemo dicet. Dum autem Febronius circa Concilium trident. Thuanum contra Paulum III. P. adducit, operæ pretium foret, ut prius vindicias Pauli III. à Cardinali Quirino elaboratas legeret, & ibi videat, quænam fides Thuano, Seckendorffio, Sarpio & aliis eiusdem farinæ tribui debeat, & procul dubio Pauli III. rectas intentiones denigrare ceſſabit.

§. IV.

§. IV.

Tertium remedium in Conciliis nationalibus quærendum eſt.

In quibus etiam pro re nata ſubtractio ab obedientia decerni poteſt.

Quemadmodum Synodi nationales ſerio propoſitæ fuerunt, eruntque motivum efficax ad obtinendam à rom. Pontifice convocationem generalis Concilii, ita eædem per ſe ſunt medium per quam idoneum reducendi omnia ad normam ſacrorum Canonum. Dum univerſalis reformatio Eccleſiæ per Concilium æcumenicum ſperari non poteſt, iuſta & multo facilior erit reformatio unius Status vel Regni. Sint Principes, Primates, Prælati ſufficienter inſtructi in vera diſciplina & genuinis legibus Eccleſiæ; ſit ille animo forti & ad bonum ordinem inclinato; ſtabunt ab illius partibus Epiſcopi & ſacerdotes eruditi ac boni, ambitioſos & rebelles continebit Principis Authoritas; reſtituatur Romæ, quod ei debetur, auferantur uſurpata: fiant aptæ Conſtitutiones; ne Roma talibus decretis contravenire, aut ea everte-

re

re valeat, & confectum erit negotium. Conventus bituricenſis in Gallia anno 1438., in quo ſanctio pragmatica recepta fuit, juſtum talis Synodi exemplar præbet.

1. In Sæculis ignorantiæ Pontifices legatos in Regna mittebant, qui nationalibus Synodis præſiderent. Ut romanis molitionibus modus ponatur, ceſſavit hæc diſciplina. Reges Galliæ coegerunt Synodos nationales, quoties è re viſum, & res in meliorem ſtatum reſtituta eſt, cum unus ex Epiſcopis regni præſideret.

2. Epiſcopi in Concilio nationali ſub auſpiciis Regis ordinabunt puncta Eccleſiæ convenientia *relative ad Statum Regni.* In diſſidio inter Ludovicum XII. Regem Galliæ & Julium II. P. ille contra gravamina romanæ Curiæ convocavit Epiſcopos regni. Sub Carolo VI. in tali Concilio ſubtractio ab obedientia à Papa alias agnito decreta fuit. Berthier Tom. 15. Contin. Hiſt. eccl. gall.

3. Si Papa tali Synodo ſe opponens, & à communione recedens Schiſma faceret,

cum

tum ſuo facto & culpa id accideret, *extra Ordinem & ad tempus* de Capite nationali providendum eſſet, ſicut obſervatum fuit in Gallia teſtibus Berthier anno 1408., Andrea Duvallio ſub Benedicto XIII., Thuano ad annum 1524. ſub Carolo V. in Hiſpania. Et Patres baſileenſes anno 1432. Epiſt. ad Eugenium P. dicunt, ſæpe obedientiam juſtis ex cauſis rom. Pontificibus ſubtractam fuiſſe, ut Marcellino, Anaſtaſio, Liberio, Joanni XII., Benedicto IX. Benedicto XIII. Joanni XXIII. apud Harduin. Tom. 8. Col. 1328.

4. Ob intolerabiles abuſus Monarchiæ romanæ & Deſpotiſmum in univerſalem Eccleſiam redundantes ſuadet Author deliberationem ſuper remedio *temporaneæ* ſubtractionis, quod alias in communibus Eccleſiæ neceſſitatibus cum fructu uſurpatum eſt.

5. Anno 1681. occaſione Juris Regaliæ Epiſcopi Galliæ propoſuerunt *Concilium nationale*, quod vocem ſuam ita elevet, ut non poſſit non audiri in ſecretiori etiam Pontificis ſeceſſu, qui ſæpe adulatione circumvenitur: idem contra quævis gravamina &

gra-

graviores inordinationes faciendum erit. Pontifex hoc male vertere non poteſt; ſed è contrario ſentire debet, ea profluere ex ſincero ſtudio ſervandi nexus Caput inter & membra; quia Epiſcopi adhuc alios faciliores, nec minus legitimos modos depellendorum abuſuum haberent.

6. Si ageretur de particulari facto abuſivo romanæ Curiæ, veluti Bullâ à privato obtentâ, ſufficeret reſtringi obedientiæ negationem ad ſolam illam Bullam abuſivam, uti quotidie ſit in Gallia. Si autem integrâ Natio, Eccleſiæ in ſuis juribus, libertatibus, Privilegiis læderentur; & querelæ audiri nollent, jure merito univerſalis Regni aut Provinciæ ſubtractio ab obedientia decerneretur, non quidem illa, quæ eſt juris *divini*, ſed quæ eſt *humani*, uti eſſet collatio Beneficiorum, confirmatio Electionum, Appellationum &c. Sic factum fuit à Regibus Franciæ Ludovico XII. & XIV. ſub Pontificibus Urbano VIII. Alexandro VII. Innocentio XI. A Rege Luſitaniæ Joanne V. ſub Benedicto XIII. & Clemente XII, atque nuper à

Joſe-

Joſepho I. per quinque annos. Hæc temporanea ſeparatio non fit *à Sede*, ſed *à Sedente* ad auferendum gravamina, quæ Aulici ſi non hoſtili, ſaltem ambitioſo animo intulerunt.

Nota.

Non negamus, Concilia nationalia & magnam Authoritatem habere, & ſæpius magno cum fructu celebrata fuiſſe, quamdiu circa ſua objecta & fines proprios ſeſe occupabant, atque intra ſuos limites ſe continebant: attamen objectum & finis his Conciliis conveniens accurate inſpici debent. Etiam Concilia nationalia congregantur ad hæreſes damnandas, Schiſmata tollenda, lites finiendas, diſciplinam ſtabiliendam, mores fidelium reformandos: verum ſuam Poteſtatem & Authoritatem ultra ſuos fines extendere non poſſunt, ut Epiſcopis, Clero, Populo alterius Nationis, multo minus romano Pontifici jus dicere, legem dare, regulam præſcribere, aut præjudicium inferre valeant. Synodus diæceſana ad ſolos Diæceſanos, Provincialis ad Clerum & ſubditos

Provinciæ, nationalis ad Populum & Clerum unius Nationis per ſe pertinent. Profecto ſi Concilio nationali aut provinciali facultas eſt diſcutiendi, judicandi cauſam romani Pontificis, atque ipſum caput Eccleſiæ, hic jam non Concilio generali tantum, ſed cuivis Synodo particulari ſubjectus erit.

Aſt quid valebunt iſta Concilia nationalia contra ſummum Pontificem? nihil omnino, ſi traditionem, ſi Canones audiamus. Reprobavit Julius I. Synodum antiochenam, quod Euſebiani ipſo inſcio eam convocaſſent, & ibi Athanaſium damnaſſent. Reprobavit Leo M. Canonem 28. univerſalis Concilii chalcedonenſis abſentibus ſuis Legatis conditum, quia, ut ait S. Gelaſius I. in Athematiſ. contra Fautores Acacii, *quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potius ventilata, quæ Sedes apoſtolica gerenda nullatenus delegavit, – – – – quæ ideo, ſicut dictum eſt, Sedes apoſtolica non recepit, quia Privilegiis univerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſuſtinet.* Ad Canones & tradionem provocavit idem S. Gelaſius P.,

quan-

quando in ſuo Commonitorio ad Fauſtum dixit, Sedem apoſtolicam *judicare tota de Eccleſia*, illam vero NB. *ad nullius commeare judicium.* Negarunt Epiſcopi congregati in cauſa Symmachi P. ſe poſſe romanum Pontificem judicare, quod pariter Avitus Viennenſis nomine Eccleſiæ gallicanæ confirmavit, quia ut ait, *non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.* Similiter loquuntur Epiſcopi ſub Carolo M. congregati in cauſa Leonis III. ad traditionem provocantes. Adde D. Bernardum Epiſt. 213. Ivon. Carnot. Epiſt. 159. & 233. Hincmarum Rhemens. L. de divortio. Confer. Caput 7. §. 10. in Not.

Febronius ipſe Cap. 6. §. 15. n. 9. ex Didaco Payva refert: *Concilia circa leges ad Eccleſiam componendam latas poſſunt errare, & non ſemper ſalubriora ſtatuunt.* Nihil igitur fiduciæ, minus roboris in Conciliis nationalibus, ubi de cauſa aut gravamine Eccleſiæ romanæ vel Pontificis, pro componenda Eccleſia agitur, ponendum eſt: juxta Canones & veram traditionem forum competens in tali caſu non ſunt, Poteſtate & Jurisdictione carent,

& ſi non carerent, adhuc timendum foret, ne ſalubriora ſtatuant.

Sed quare Febronius in re tanti negotii, in cauſa univerſali, ut ait, totius Eccleſiæ ad veterem traditionem & veros Canones non recurrit, oſtendens, unde & quænam remedia in tali caſu ſint adhibenda? cur facta & exempla recentioris ævi ſolum, & irati vel circumventi quandoque Principis allegat? intelliget facile lector, Febronium & hodiernos Scriptores, qui ubivis veterem Eccleſiam, traditionem, Canones buccinant, easdem ſæpius caute declinare, quando ſibi adverſas ſentiunt, ac taliter ſua innovandi ſtudia declinare.

Ulterius quænam ſunt illa *Concilia nationalia*, quæ Febronius pro remedio contra rom. Pontificem opponit? qua authoritate nituntur? ſi Febronium audiamus, potiſſimum authoritate Principis; ſic enim ait: *ſtabunt à Principis partibus Epiſcopi & Sacerdotes eruditi ac boni, ambitioſos & rebelles continebit Principis authoritas.* Nec aliud ipſa exempla probant, quæ profert. Verum ad hoc iterum peti-

petimus traditionem, Canones; quam enim juxta hos authoritatem & partem in Conciliis habet Princeps vel Magiſtratus ſæcularis? legimus, in Concilio chalcedonenſi ſtatutum fuiſſe, quod utique jam ab Origine Eccleſiæ prohibitum erat, nempe ne Clericus habens negotium contra Clericum ad ſæcularia judicia convolet: quid ſi Epiſcopi contra Primatem & Caput totius Eccleſiæ? num hic authoritati Magiſtratus ſæcularis magis, quàm infimus quivis Clericus ſubiacebit? ſimilia Canones Africani 15. & 70. ſtatuunt. In Concilio nicæno II. Can. 6. decernitur, Principes communione privandos eſſe, qui Synodos provinciales celebrari prohibent; in Concilio conſtantinop. IV. Can. 14. arguitur ignavia quorumdam Epiſcoporum, qui ſuæ dignitatis obliti, abjecte viventes, aut Principibus adulantes illam dehoneſtant, & deprimi ſinunt. Can. 17. irrita declaratur excuſatio aſſerentium ſe, quo minus ad Concilia veniant, à Principibus detineri, cum id licite non poſſint Principes: & aliorum dicentium, ſine Principis præſentia Synodum celebrari non poſſe, cum nusquam ſacri

Canones convenire ſæculares Principes in Conciliis ſanxerint, ſed ſolos Antiſtites. Can. 21. Anathematizantur Principes & Magnates, qui reverentiam & honorem Patriarchis, præſertim rom. Pontifici, debitum violaverint, imo prohibetur, ne Synodus etiam univerſalis ſententiam audacter dicat contra ſummos ſenioris romæ Pontifices.

Patet hinc, legitima Concilia qualiacunque à Poteſtate ſæculari nullam omnino authoritatem mutuare, imo hanc à perſonis, & negotiis eccleſiaſticis, quæ in Conciliis tractari debent, expreſſe excludere. Perperam igitur Febronius pro exemplo adducit Conventnm bituricenſem in Gallia de anno 1438., qui non Congregatio ſolummodo Prælatorum eccleſiaſticorum, ſeu Concilium, ſed Conventus regni, ſeu Procerum & Magnatum tum ſæcularium tum eccleſiaſticorum fuit, cujus etiam acta & concluſa tanti non valent, utpote, ut ait Ludovicus XI. Galliæ Rex, *Seditionis & Schismatis tempore lata ad infringendam Sedis apoſtolicæ authoritatem*, & quæ poſtmodum *per Concordatum* abroga-

rogata ſunt. Unde ille Conventus *juſtum Synodi nationalis exemplar præbere nequit*, qui revera Synodus non fuit, & eo ipſo, quod alienam romani Pontificis poteſtatem invaſerit, effectu caruit; quin potius è contrario iſtud exemplum commonſtrat, quam parum in Eccleſia valeat, ſi à parte Principis irati aut male præoccupati ſtent Epiſcopi & Sacerdotes vel reverentiâ nimium inclinati, vel timore perculſi, vel adulatione adrepti, vel proprio commodo & utilitate commoti, dum e contra non ignavos & bonos contineat Principis authoritas atque præpotentia. Febronius Concilium generale à Papa liberum eſſe vult, qui tamen Caput Concilii, & neceſſaria Concilii pars eſt; & poteſtatem ſæcularem à Concilio nationali abeſſe non ſinit, imo Principem Caput eſſe conſtituit, qui in negotiis Eccleſiæ tractandis partem non habet, & in quibus ejus poteſtas legitima non eſt. Sic Febronius ſuis propriis, quæ affert, exemplis confunditur.

Ad 1. Adverſarii Concilia provincialia, nationalia ubivis magnopere dillaudant,

eorum utilitatem, authoritatem extollunt, his ſuum uſum & vigorem reſtitui poſtulant, ſcilicet ut tantam eis authoritatem attribuant, quantam ſummis Pontificibus detrahi volunt: queruntur, quod medio ævo Concilia provincialia aut nationalia celebrata non fuerint ſine interventu romani Pontificis, qui vel ipſe vel legato miſſo præſederit, quod modo omnino interierint.

Verum eſt, quod Concilia provincialia & nationalia maximam utilitatem, circa diſciplinam præſertim, in Eccleſia habuerint, & adhuc haberent, ſi ſæpius celebrata fuiſſent, atque juxta Canones intra ſuos debitos fines & negotia jugiter ſe continuiſſent. Verum eſt, quod ceſſantibus his Conciliis multa ad rom. Pontificem devoluta ſint, quæ in his Synodis tractari, exerceri aut terminari potuiſſent vel debuiſſent. Sed falſum eſt, atque ad ſolam romanorum Pontificum invidiam confingitur, hos in culpa eſſe, quare illa Concilia intermiſſa fuerint, vel quod horum jura præripere, ſibi uſurpare ſtuduerint; hoc jam Capit. VI. & VIII. ſatis demonſtravimus.

Ipſæ

Ipſæ Epiſtolæ decretales veterum Pontificum toties nobis teſtatum faciunt, quod Epiſcopos variis in Provinciis ad talia Concilia celebranda ſæpius adhortati fuerint, juſſerint, imo quaſi coegerint rom. Pontifices; ſed Epiſcopi nunquam non in primis quoque Sæculis ægre ad Concilia conveniebant, ut præter Rom. Pontifices etiam Concilia generalia de tempore ad tempus decreta de celebrandis Conciliis provincialibus renovare neceſſe habuerint. Concilium nicænum I. Can. 5. ſtatuit, & ſingulis annis bis Concilia in unaquaque Provincia celebrentur. Concilium antiochenum anno 341, vix ſedecim annis poſt Nicænum Can. 20. illud Decretum renovandum eſſe duxit, renovavitque. In Concilio laodicenſi jamjam hic Canon. 40. poni debuit, *quod non oporteat Epiſcopos ad Synodum vocatos omnino contemnere, ſed protinus ire & docere, vel diſcere ea, quæ ad correctionem Eccleſiæ vel reliquarum pertinent rerum, ſeipſum vero: qui contempſerit, accuſaſſe videbitur, niſi forte per ægritudinem ire non poſſit.* Concilium chalcedonenſe Can. 19. graviter conqueritur: *pervenit ad aures no-*

ſtras, quod in Provinciis ſtatuta Epiſcoporum Concilia minime celebrentur, & ex hoc plurima negligantur eccleſiaſticarum cauſarum, quæ correctione indigent. Poſtea renovato Decreto nicæno ſubjungitur. *Quicunque vero non advenerint Epiſcopi, reſident autem in ſuis Civitatibus, & hoc dum in ſua incolumitate conſiſtunt, omnique inexcuſabili & & neceſſaria occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.* In Conciliis africanis idem ſtatutum iteratis Canonibus ſtabilitur. Taceo Concilii nicæni II. Canonem 6., conſtantinopolitani IV. Can. 18. & poſteriori ævo lateraneſis IV. Can. 6. tridentini Seſs. 24. Cap. 2. Seſs. 25. Cap. 2. de reformat. ubi Concilia provincialia ſaltem quolibet triennio celebrari præcipitur, *pœnâ adiectâ canonicâ.*

Legat, quisquis volet hos Canones & Epiſtolas decretales rom. Pontificum, & ſtatuat, quare tot decreta & Canones de celebrandis Concilis provincialibus de Sæculo ad Sæculum condi debuerint? edicat dein ſincere, quis in culpa fuerit, anne romanus Pontifex, qui ea potius urgebat? vel Epiſcopi,

pi, qui ægre conveniebant? utpote quod ipſi teſtantur Canones.

Sed audiamus ipſum Fleurium hodiernis Sciolis teſtem peridoneum, qui Inſtit. Jur. eccles. Part. 3. Cap. 2. n. 8. ait: poſt Concilium nicænum &c. *iam remiſſius actum, cum Epiſcopi à primo Zelo recedentes laborem itineris, ſumptusque impendendos prætexerunt culpæ.* Addit, in occidente ſub regibus merovingicis rariora fuiſſe Concilia provincialia ob Comitia Regni bis ſingulis annis habita, quibus interfuêre omnes Epiſcopi, & *quæ inſtar habuêre Conciliorum nationalium:* maius impedimentum accreviſſe tempore Caroli Calvi à Bellis civilibus, ab incurſione Normannorum, & diſſidio perpetuo Regulorum. Hæc equidem excuſationis ſpeciem præſeferre videntur. Tandem ita concludit Fleurius: unde Sæculo X. XI. & XII. vix Concilium niſi Papæ Authoritate convocatum, qui vel ipſe, vel legato miſſo præſidebat. Profecto illa Comitia Regni, ubi Proceres & Epiſcopi ſimul conveniebant, atque ſententiam dicebant, vera Concilia non fuerunt, uti ſupra

de

de conventu bituricenſi dixi, quamquam in iis ſæpe circa Religionem & diſciplina optima ordinata ſunt; nihilominus negotia eccleſiaſtica, quae ad ſolos Epiſcopos & vera Concilia pertinent, eo modo in talibus Comitiis Regni, ſicut in Conciliis tractari non poterant, tum quia illorum deciſio reliquos duos ordines nihil attinebat, tum quia hi duo ordines ſententiâ eccleſiaſticos ſemper prævalebant; unde mirum non eſt, quod in negotio Religionis & Eccleſiæ in talibus Comitiis non ſemper ſalubriora ſtatuta, & quandoque non levia diſſidia exorta fuerint, uti factum in Comitiis Regni Anno 1614. ſub Ludovico XIII. Hæc igitur Comitia, ſi jus eccleſiaſticum ſpectemus, vere *inſtar Conciliorum nationalium* haberi nequaquam poſſunt.

Equidem Conventus Epiſcoporum nationales à Regibus Galliæ coactos fuiſſe novimus; ſed quid in his valeat authoritas & præpotentia Principis, ſi ibi ſe non gerat ut Conſtantinus M. in Concilio nicæno, Theodoſius Junior in epheſino, Marcianus in chalcedonenſi, & Baſilius in Synodo generali

tali octava, nullus ignorat. Ex Gallia, ut plura alia taceam, id nobis teſtantur Concilia celebrata in cauſa rebellionis filiorum in Patrem Ludovicum Pium, compendienſe præprimis, anno 833. & in cauſa Lotharii junioris duo Aquisgranenſia & Metenſe &c. &c.

Jam ſi ipſi Epiſcopi negligentes fuerunt in frequentandis, Metropolitani in cogendis Conciliis: Si Bella civilia, incurſiones Barbarorum &c. iis celebrandis impedimento fuerunt: ſi non ſolum rariora erant; ſed ſæpe etiam graves prævaricationes in iis intercesſerunt tum præpotentia Principum, tum ambitione Metropolitanorum, tum adulatione, ignavia vel culpa Epiſcoporum, de quibus nobis multiplicia exempla præbet hiſtoria eccleſiaſtica, ad rom. Pontificem maxime pertinebat, & omnino ſui officii erat, urgere obſervantiam ſaluberrimam Canonum de celebrandis Conciliis provincialibus; atque cum nihil proficerent monitio atque mandata, ipſe ad ſupplendam vel negligentiam vel impotentiam Metropolitarum & Epiſcopo-

ſcoporum de latere ſuo legatos mittebat cum authoritate convocandi talia Concilia, iisque præſidendi, ne diſciplina eccleſiaſtica omnino collaberetur, vel collapſa, quantum fieri poſſet, reſtitueretur.

Verum ut fert hominum ſemel corruptorum jugi impatiens genus, neque hæc diſciplina diu placuit. Etenim ſenſim diſplicuit Metropolitis & Epiſcopis, quod patet ex Conciliis tricaſſino, triburienſi & aliis: illi querebantur ſua jura læſa atque contempta, quæ ipſi tamen non exercebant, dum Metropolitæ Concilia non cogebant, Epiſcopi, ſi quandoque convocari contingeret, venire contemnebant, vel non poterant. Diſplicuit Clero, cuius reformatio in his Conciliis plurimum urgebatur, uſuræ, Concubinatus, Simonia & alia ſevere prohibebantur. Diſplicuit Nobilitati & Magnatibus, quia bonorum eccleſiaſticorum direptio, & damna Eccleſiis vel Perſonis eccleſiaſticis illata graviſſime vindicabantur. Acceſſit quandoque culpa ipſorum legatorum, qui ſuas fimbrias, ultra quam in mandatis habuêre, nonnunquam extendebant,

bant, Clerum Nationem collectis gravabant. Ceſſavit igitur etiam hæc diſciplina, & cum ea Concilia quoque provincialia.

Revolve hiſtoriam eccleſiaſticam in genuinis ſuis fontibus, & videbis, has veras cauſas fuiſſe, ob quas rarius celebrata, & tandem penitus intermiſſa fuerint Concilia provincialia & nationalia, neutiquam vero rom. Pontifices in culpa fuiſſe, qui potius ea omni modo urgebant, imperabant, & cum nihilominus negligerentur, etiam ſua authoritate convocabant, & cum tandem nec iſta proficerent, conſequens, imo neceſſarium erat, ut ex officio ſui Primatus pro bono Eccleſiæ ipſi hanc curam & onus invigilandi ſingulis Eccleſiis, ordinandi diſciplinam, diſcutiendi negotia, quæ alias ad Concilia provincialia pertinebant, in ſeſe ſuſciperent; quod ſi non feciſſent, certo certius neglecti officii ſui rei habiti fuiſſent. En modo uſurpationes, abuſus, fraudes, dolos! uti Febronius & Neoterici vocant, quæ tamen in Primatibus particularibus negligentia vel impotentia, in Primate ſeu Paſtore univer-

verſali poſtmodum omnino officium, obligatio, neceſſitas fuit.

Patet ergo, æque calumnioſe ac invidioſe hoc loco ſcripſiſſe Febronium: *In Sæculis ignorantiæ, cum non eſſet, qui reſiſteret, prætenſionibus & moliminibus romanorum Pontificum, hi Legatos ex Italia in Galliam, Germaniam, aliæque Regna mittebant, qui nationalibus Synodis præſiderent. Ceſſavit hæc diſciplina, ex quo compertum fuit, ultramontanorum molitionibus modum ponendum, & ad hoc obtinendum nationalium Præſulum Conventum eſſe medium cæteris oportunis.*

Ad 2. Jam dixi, tales Conventus non poſſe verè dici, nec eſſe vera Concilia, quia juxta traditionem & Canones in Conciliis ſoli ſedent Epiſcopi, & qui de jure ſuffragium habent. Dein qualecunque Concilium debet eſſe liberum, non quidem à Poteſtate Papæ, quæ in Eccleſia præfulget, & cujus Authoritas nullibi ab Eccleſia excludi poteſt, ſed ab omni poteſtate extranea Eccleſiæ. Ubicunque in Conciliis vel eminet, vel multum valet Potentia aut favor Principis & Poteſta-

tis

tis ſæcularis in ordine ad ipſa ſuffragia & materias tractandas, vel Epiſcopi alio titulo eidem ſint nimium devincti, eo ipſo ſuffragia atque Concilia non cenſentur eſſe verè libera; hoc vidimus in multis Arianorum, Iconclaſtarum Conciliis, & ex hac cauſa vidimus, quandoque in Conciliis particularibus tantas deordinationes & prævaricationes promanaſſe, quarum alia ratio dari non poterit. Aliud eſt circa externam æconomiam & ordinem in Conciliis, pro quibus Poteſtas Principis ſæpe utilis & neceſſaria eſt.

Tandem Epiſcoporum munus eſt & obligatio, ſua Decreta *relative ad Canones antiquiores, ſtatum & bonum Eccleſiæ ordinare.* In materia mere diſciplinari poſſunt quidem in Conciliis nationalibus ſua Decreta etiam ordinare *relative ad ſtatum Regni*, non tamen abſolute & pro libitu, ſed ſic ut non præjudicent Canonibus univerſalibus Eccleſiæ receptis, neque juribus alterius Eccleſiæ, præprimis romanæ atque Sedis apoſtolicæ, quia Concilia particularia in alienam, multo mi-

nus in totam Eccleſiam poteſtatem nullam habent, nec legem dare poſſunt.

Cæterum ad fulciendas exorbitantes ſuas prætenſiones Febronium non noviora facta Principum, ſed traditionem & Canones (quod non ſemel dixi) afferre oportuiſſet; hisce enim non illis Poteſtas & æconomia Eccleſiæ, atque Conciliorum demonſtratur, quodque ſæpius jam monui, facta utique jura non ſunt. Cauſa pariter inter Ludovicum XII. & Julium II. mere politica erat ob bellum cum Rege & ejus ſæderatis, quod Pontifex tanquam Princeps gerebat; Rex vero dein in cauſam eccleſiaſticam convertebat. Perſonam jam non Principis modo, ſed & Pontificis inſequendo.

Ad 3. Novimus, quid Principes pro bono Eccleſiæ poſſint, quidque aliquando ſpontaneé, vel rogati in ejus favorem geſſerint; ſed & hiſtoria docet, quid ab iis Eccleſiæ infeſtum & exitiale non ſemel ſuſceptum ſit? pariter novimus, quid tales Conventus tempore diſſidiorum, tumultûs &c. juſſione Principis, ad iram provocati, æmu-

latio-

latione flagrantis, vel ad vindictam allecti, temporalium bonorum cupidi, adulantibus aut inclinatis ad vota ſui Principis etiam Clero & Epiſcopis valeant, quando tales adunationes, diſcuſſiones, conſpirationes certe nomine Chriſti non ſuſcipiuntur, atque veras notas & Characterem legitimarum Synodorum non præſeferunt: talia autem ut plurimum ſunt, quæ Febronius pro norma proponit. Quis credat, Principes eſſe infallibiles, impeccabiles, nec unquam errare? jam ſi in tali Conventu nationali Epiſcopi timore, promiſſis, reſpectu, adulatione, aut quavis animi affectione ad ſenſum ſui Principis trahantur, de quibus utique exempla non deſunt, quid tandem Roboris talibus Conventibus inerit? quam authoritatem ab Epiſcopis tenebunt, quamque in tota Eccleſia merebuntur? qualiter per adhæſionem cujusvis Nationis Epiſcoporum ad ſenſum genium ſui Principis unitas doctrinæ, morum, diſciplinæ in tota Eccleſia conſervari, non dicam, promoveri poterit, ſi Epiſcopi non libere ab omni poteſtate ſæculari, negotia eccleſiaſtica tractare valent? tragica de his ex-

 empla

empla nobis Oriens reliquit, nec talia in occidente defuerunt. Quandocunque ergo dicta & facta profana atque hujus ſæculi nobis opponit Febronius, dico, ea in Eccleſia Authoritatem non habere, minus in exemplum trahi poſſe. *Quid enim?* ait S. Gelaſius I. in Anathemat. contra Fautor. Acacii, *quia in Libris ſanctis, quos utique veneramur, & ſequimur, quoniam quorumdam illic & profanitates eſſe feruntur, & ſcelera geſta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda ſunt aut ſequenda, quia in illis ſanctis libris & venerabilibus continentur? -- -- -- -- hæc & hujusmodi exempla nos edocent, & teſtimonia divina confirmant, non omnia paſſim à quocunque dicta, vel ubicunque ſcripta* (adde & geſta) *indifferenter accipere, ſed retentis bonis, quæ noceant, reſutare.*

Nililominus Febronius audet Conſilium proponere & docere: ſi Papa talis Synodi Decretis ſe opponens Schisma faceret, tum *id non Regis & epiſcoporum Regni juſte procedentium, ſed ipſius Papæ facto & culpâ accideret, ideo extra ordinem ad tempus nationali Eccleſiæ de Capite providendum eſſe, & obedien-*

tiam

tiam ſubtrahi poſſe. Hoc in re ipſa & in verbis quid eſt aliud, quam Seditio, Rebellio, Schisma? Febronius in anteceſſum jam præſupponere debet, romanum Pontificem non eſſe legitimum ſuperiorem in Eccleſia, non Patrem univerſarum fidelium, neque romanam Eccleſiam eſſe centrum unitatis: ſed iſta ſuppoſitio aperte & certo falſa eſt: quando autem unquam licuit ſubditis aut filiis reſiſtere, atque obedientiam ſubtrahere legitimo Superiori, Patri, à centro recedendo unitatem ſcindere? & ſi hoc liceret, an non idem Principibus, Magiſtratibus fieri poſſet? an non ſubditi eandem obedientiæ ſubtractionem iisdem minitari, atque in effectum ducere poſſent, ſi illi non ocius in eorum poſtulata, quantumvis ſæpe frivola, injuſta, conſentiri vellent? en principium Seditionis & Anarchiæ!

Rurſus à Cathedra Petri, à Sede apoſtolica, huic ſubtrahendo obedientiam, ſe ſeparare, ſicque unitatem ſcindere, providere ſibi de alio Capite nationali, atque ita Cathedram contra Cathedram ſingularem Petri

conſtituere (quæ tamen omnia Febronius laudat, conſulit, urgetque) iſta revera aliud non ſunt, quam certum Schisma & peccatum hæreſis. Ita clariſſime à vetuſtis ſanctis Patribus edocemur: Maurianus author præfationis in opp. D. Cypriani ex editionibus Manuti & Pamelii contra Balluzium oſtendit, in Cypriano ita legi: *& Primatus Petro datur, & una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*, & poſt alia interrogat S. Pater: *qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Idem S. Pater, quod jam ſæpe allegavimus, alibi ait: *neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt Schismata, quam inde, quod Sacerdoti non obtemperetur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur* &c. S. Optatus Lib. 2. contra Parmenian. *Negare non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primo Cathedram epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent, ut jam Schismaticus & peccator*

ruptor eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Novimus, in veteri Eccleſia omnes unionem cum Eccleſia romana tanto ſtudio quæſiiſſe, tanto fervore tenuiſſe, ut ſi quis ab alia Eccleſia vel Epiſcopis communione privaretur, ſe adhuc Eccleſia catholica eſſe confidebat, quamdiu adhuc communionem cum Eccleſia romana teneret, & ab hac non eiiceretur; & econtra quamprimum ab iſta Communione privabatur, pellebaturque, continuo à tota Eccleſia extorris eſſe cenſebatur, ita ut unitas & communio cum Eccleſia romana ſemper fuerit Character & ſignum Catholicitatis.

Febronius ſuo libro ſingulari *reunionem* Proteſtantium cum catholica Eccleſia ſe intendere gloriatur, dum in eo ipſo libro *diviſionem ſchismata* in hac ipſa Eccleſia conſulit, inducitque egregius hic unionis Arbiter.

Sed ait Febronius: ſi Papa decretis talis Synodi nationalis ſe opponeret, & à ſua communione repelleret, ipſe ſuo facto & culpâ ſchiſma faceret, ideoque ſubtractio obedientiæ ſtatui poſſet. Verum quæritur 1. utrum Concilium particulare, etiam nationa-

le ſubiiciatur romanæ Eccleſiæ & Pontifici, atque hinc ſuam approbationem & robur debeat recipere; vel econtra Pontifex ſubiiciatur Synodo particulari, & huic ſe concordare teneatur? hoc ultimum negant ſancti Doctores & Patres Julius, Innocentius, Leo, Gelaſius, imo in unum omnes. De Synodis etiam generalibus ait S. Gelaſius cit. L. contra fautores Acacii, *quod firmavit in Synodo ſedes apoſtolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem, & ſola reſcindit, quod præter ordinem Congregatio ſynodica putaverat uſurpandum.* 2. An reliquæ Eccleſiæ unitatem vere tenere poſſunt, ſi centrum non cum ipſis concordat, & an non ipſæ neceſſario cum centro, utique non arbitrario, ſed divinitus conſtituto conſpirare debent, ut ſit unitas? *qui Cathedram Petri deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* ait D. Cyprianus L. ſupra cit. 3. Caput nationale ſibi conſtituere, & Capiti univerſali ſubtrahere obedientiam, an non hoc eſt, Cathedram contra Cathedram ſingularem collocare? ſed qui hoc agit, *Schismaticus & peccator eſt*, ait ſupra citatus Optatus Milevit. 4. Rom. Ponti-

tifi-

tifices notorie multa Conſilia & Epiſcopos à ſua communione abjecerunt, & ſi inde ſubtractio obedientiæ vel Schisma ſequebatur, nemo unquam cauſam Schismatis in culpam Pontificum rejecit, ſed ipſi refractari pro Schismaticis habiti ſunt.

Ait ulterius Febronius, talis Synodi decreta *juſta* eſſe propter gravamina à Pontificibus illata, quæ aliâ viâ efficaciter tolli non poſſunt. Aſt per hæc ſubtractionem obedientiæ Schiſma & rebellionem neutiquam honeſtare vel excuſare valet. Si Princeps novis taxis, tributis, vel alias gravet Populum, ſi ſit diſcolus, an Populus ideo ſubtractionem obedientiæ decernere poterit? an tale decretum *juſtum* erit? cum tamen ſcriptum ſit: *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Servi ſubditi eſtote dominis non tantum bonis, ſed etiam diſcolis. Qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

Inobedientia erga Caput Eccleſiæ, rom. Ponticem Schisma eſt; ſic enim D. Cyprianus ſupra ait, *non aliunde oriri Schismata & hæreſes, quam inde, quod Sacerdoti Dei non*

 obtem-

obtemperatur, & D. Thomas 2. 2dæ q. 39. art. 1. *Schismatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici.*

Porro D. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmenian. Cap. 11. ait, *non eſſe quidquam gravis Sacrilegio Schismatis, quia præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.* Si ita; tunc illa Decreta de ſubtractione obedientiæ *juſta* eſſe non poſſunt, & qualicunque ſint gravamina, *præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.*

Evaſiſſe ſe putat Febronius, dum ait, ſubtractionem obedientiæ *extra ordinem*, & *ad tempus* decernendam fore. Sed jam patet, talem ſubtractionem non *extra ordinem*, ſed *contra ordinem* abs Chriſto in Eccleſia præſcriptum futuram eſſe: Schisma autem ſemper malum eſt, ſive *ad tempus*, ſive *perpetuo* duret; *non eſt quidquam gravius Sacrilegio Schismatis, quia præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.* Subtractio obedientiæ ad tempus eſt Schisma ad tempus, & ſubtractio obedientiæ perpetua eſt Schisma perpetuum: Schisma autem non ſolum duratione, ſed

in-

intrinſece malum eſt, ſive dein temporaneum, ſive æternum ſit. Nulla fere facta diviſio eſt, quam non *ad tempus* ſpecie alicuius boni eius authores à ſe factam defenderent. Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani cauſas ſuæ ſeparationis ab Eccleſia afferebant, puncta quædam & conditiones proponebant, quibus ſalvis ſe reverti promittebant; Schiſma ad tempus videbatur, & factum eſt perpetuum, cum conditiones ſalva fide & Authoritate Eccleſiæ impleri non poſſent. Febronius approbat, conſulit ſeparationem *ad tempus*: ſed ignorare non poteſt, quod ſi cauſa diſſidii foret perpetua, perpetuam item diviſionem eſſe oportere: cauſam huius ponit ſententias romanorum de articulis non modo diſciplinæ, ſed etiam doctrinæ, præcipue de Poteſtate & Jurisdictione rom. Pontificis; verum anne ſperare poterit, romanos aliquando de his articulis ſuam ſententiam mutaturos eſſe, cum ipſe Præfat. ad tom. I. dicat: *citius clavam Herculi abſtuleris, quam romanis ſua prætenſa jura?* ſimilia in ſuis Libris ſæpe repetit; igitur ipſo Judice tale

Schiſ-

Schiſma omnino foret perpetuum, dum hujus cauſa perennis erit.

Attamen authoritate & exemplis ſe munit adverſarius, quibus ſubtractionem obedientiæ & licitam & utilem eſſe oſtendat. Hisce res nondum conficitur: ſuperius iam dixi; ſi Febronius in re tanti momenti quidquam ſolide ſtatuere voluiſſet, iam non authores & exempla medii atque recentioris ævi, ſed veterem traditionem, Patres afferre debuiſſet, ſed hos contradicere iam vidimus, & ex traditione nulla genuina exempla in hunc finem proſtant, quin illa aperte adverſatur.

Contra hæc allatis ex Gallia, Germania, Hiſpania exemplis ſubinfert Febronius: *ſchiſmatica ergo Gallia fuit anno* 1408. *Germania anno* 1439. *Hiſpania anno* 1524.? ut ad iſta tibi reſpondeam, non Notis tantum, ſed integris diſſertationibus opus foret; originem enim, cauſas, motiva, mentem, modum, ac ſenſum, finemque reſiſtentium expendere oporteret, ut oſtendi poſſit, quæ & qualis fuerit reſiſtentia, obedientiæ ſubtractio,

tio, ex quibus etiam pateret, Febronium in his exemplis ſuo ſenſu in vanum triumphare. Inter alia adducit exemplum ſubtractionis obedientiæ in cauſa diſſidii inter Philippum Pulchrum Galliæ Regem & Bonifacium VIII., ſed univerſitas pariſienſis, in hac cauſa teſte Egaſſio Bulæo in hiſtor. eiusdem univerſit. hanc ſententiam tulit, cui etiam Eccleſia gallicana aſſenſit: *ſolvi quidem hunc nexum in inferioribus Epiſcopis romani Pontificis authoritate, à quo, velut à fonte, omnis eorum Jurisdictio fluit, derivatur, ac pendet. Ad ipſius romani Pontificis cum Eccleſia nexus niſi ſolius Dei authoritate ſolvi non poteſt, quia in terris ſuperiorem non habet, ipſe de omnibus iudicans, à nemine iudicandus. -- -- -- Univerſalis Eccleſia emanat à Petri ſede, quæ unitatis eſt origo.* Et infra: *huiusmodi ſubditorum ſubtractio nullo modo cadit in ſummum hierarcham, nec poſſibile eſt per hominem ſibi ſubtrahi ſubditos, quoniam non habet ſuperiorem in terris, ſed omnis anima ſibi ſubdita eſt.* Patet hinc in exemplo è Gallia allato veram ſubtractionem obedientiæ in ſenſu Febronii non fuiſſe, & ſi fuiſſet, ab univerſitate & Eccleſia gallicana

(quid-

(quidquid timore Principis egerint Epiſcopi) ut iuſtam & legitimam agnitam non fuiſſe. Subtractio obedientiæ Anno 1408. facta fuit tempore Schiſmatis, & contra Benedictum XIII. qui non erat certus Pontifex. Similia ferme adverſus alia exempla proferri poſſent.

Sic etiam Febronius pro exemplo & argumento adducit Epiſtolam Concilii baſileenſis ad Eugenium P., ubi refertur, ob iuſtas rationes obedientiam rom. Pontificibus etiam alias denegatam fuiſſe. Sed ridiculum eſt, ſchiſmaticos inſtar exempli afferri, ut evincatur, ſubtractionem obedientiæ licitam, atque Schiſma non eſſe. Cur Baſileenſes tantopere inſudarunt, ut unitum ſibi haberent Papam, ſi eorum inobedientia iuſta & licita fuit? cur aperte ab omni Eccleſia impoſterum tunc pro ſchiſmaticis habiti ſunt, quando ſententiam depoſitionis in eum proferendo publice eum abiecerunt? poſtquam ſuperiori licet denegare obedientiam & ſubiectionem, facilis gradus eſt ad eum, ut ſuperiorem, abiiciendum. Sed & exempla Baſileenſium nihil proficiunt; aliud quippe eſt, cum Papa

diſpu-

diſputare, vel etiam contendere; aliud negare obedientiam, & ſcindere unitatem.

Pariter memorat Febronius ex Thuani hiſtoria, Carolum V. Imperatorem *per univerſam Hiſpaniam authoritatem nominis pontificii ſuppreſſiſſe, exemplo ab Hiſpanis Poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis pontificii authoritatem ad tempus conſervari.*

At profecto hoc exemplum Caroli V. in Sæculo XVI. authoritatem genuinæ & ſacræ traditionis in Eccleſia non obtinet: potuiſſet Febronius etiam addere Captivitatem Pontificis ab exercitu Caroli V. factam, diram divexationem Papæ in Cuſtodia direptionem & expilationem ædium pontificiarum, Urbisque, quæ eſte Sandino in vit. Clement. VII., dum roma ſexies direpta fuit, erat omnium fædiſſima. Quis unquam irati Principis vindictas, hoſtilitates, vel etiam victorias bellicas in Eccleſia dogmata vel Canones eſſe cenſuit? dicat Princeps: hæc mëa ſunt, meæ Poteſtati ſubiiciuntur: vindicet ſibi etiam ea vel ſuâ præpotentiâ, vi, aut ignaviâ

viâ Paſtorum Eccleſiæ: exempla quidem hæc & facta ſunt, ſed utrum hæc facta legitima, & etiam jura ſint, de hoc quæritur? de hoc diſputare vel inquirere, non eſt initium vel cauſa rebellionis, quia cauſa iam non vertitur inter ſubditum & ſuperiorem, ſed inter utramque Poteſtatem politicam atque eccleſiaſticam, quæ ab invicem non dependet, & utriusque fundamenta perquirere licet. Cæterum non negamus, aliquos ſe ab Eccleſia romana ſeiunxiſſe, ſed utrum licuerit ſeiungere, monſtrandum eſt. Ut ergo Febronius oſtenderet, ſubtractionem obedientiæ iuſtam ac licitam eſſe, non debuiſſet triſtia exempla ex poſterioribus ſæculis afferre, ſed prius demonſtrare, hæc exempla & facta ſecundum leges ac jura Eccleſiæ etiam legitima & canonizata eſſe.

Denique Febronius flagitium ſuum emollire ſtudet per inanes diſtinctiunculas, dum ait, ſubtractionem obedientiæ ſtatuendam fore, non illius, *quæ eſt juris divini, ſed quæ humani*, circa ea nempe, *quæ conſenſu tacito, ſive expreſſo romanæ ſedi adiecta fuerunt.* Dein ait,

tuit, *hanc temporariam & juſtam ſeparationem* non fieri *à ſede*, ſed *à ſedente*. Verum utrum ea, de quibus nobis hactenus ſermo fuit, ſint *juris humani*, ad minimum adhuc controvertitur: Febronius hoc ſuis argumentis neutiquam demonſtravit; nos econtra potius contrarium evicimus, atque in dubio ſaltem nondum liceret, ſe periculo tanti criminis atque Schismatis exponere. S. Bonifacius I. & Nicolaus I. PP. aliique veteres negant, Synodos Nicænam & alias auſas fuiſſe aliquid addere ſupra Primatum Petri, quod non ipſe iam à Chriſto Domino accepiſſet; idipſum Concilia ſæpe atque ſatis clare agnoſcunt, quorum teſtimonia multoties retulimus. Ergo illa ſubtractio non foret ab obedientia, quæ eſt *juris* mere *humani*, ſed vere *divini*, id eſt, à Primatu Petri. Nec etiam ſeparatio fieret à *ſedente* ſolum ſed etiam *à ſede*; quippe Jura Primatus non ſunt Privilegia mere perſonalia, huic vel alteri Perſonæ affixa, atque cum Perſona interitura, ſed ſunt jura *ſedis*, quæ à Petro uſque ab uno ſucceſſore in alios pertranſeunt. Verum de hoc inferius plura.

Interim per hæc etiam ea, quæ ſubſequentibus numeris à Febronio dicuntur, iamiam præoccupata ſunt, atque reſponſum ferunt.

§. V.

Hæc multo commodius expediuntur in Regno monarchico.

In aliis romana Curia facilius diviſiones excitat.

Quandoque Principes ſæculores propter propria ſua commoda exorbitantes Romanorum prætenſiones tolerant, imo ſuſtinent.

Longe commodius hæc tractantur, definiunturque in Regno monarchico, qualis eſt Gallia, quam in Germania, cuius ſyſtema ad hoc minus idoneum eſt. Non competit Imperatori, ſicut Regi Galliæ idem Imperium in Epiſcopos, neque eædem rationes publicæ & commoda ſuppetunt. Germaniæ Epiſcopi per Capitulationes toties prohibitas, & ſemper ſubſtitutas ſingularem nexum habent cum ſuis Capitulis cathedralibus: egent archiepiſcopi gratiâ & Epiſcopi romanæ Curiæ ad obtinenda Brevia eligibilitatis &c., Canonici cathedrales, pro obtinendis Beneficiis & diſpenſatione ſuper eorum pluralitate &c. Si

Gal-

Gallia exemplo præiret, & Imperator, qui non levem in res Epiſcoporum & Capitulorum influxum habet, præſertim in electionibus, quibus potenter præſidet, has res ſacras in diætis publicis proponeret, & urgeret ſicut Carolus V., ſperandum foret, Germaniam Italorum machinationibus, & ſua credulitate toties deluſam, priſtinam libertatem recuperaturam eſſe; attamen oporteret privata ſingulorum ſtudia ſeponi.

1. Quoties in Germania de recuperanda libertate actum fuit, romanæ Curiæ ſtudium fuit, tum rationibus politicis Imperatoris animum ad ſe inclinare, tum *Epiſcoporum & Principum* dividere Conſilia ac commoda. Legitur apud Gobelinum in Commentar. de geſtis Pii II. L. 1. pag. 25. mortuo Nicolao V. Papa non paucos ſuaſiſſe Cæſari, nunc tempus eſſe coercendi ſedem apoſtolicam, ne tantum in Germania poſſet, non prius obediendum rom. Pontifici, quam ea concederet, quæ Natio germanica optaret &c. Contra Æneas Sylvius aiebat, non eſſe è re Cæſaris, rom. Pontificis authoritatem reprimere, ut Populi gratia iniretur, Papam Imperato-

obtemperatur, & D. Thomas 2. 2dæ q. 39. art. 1. *Schiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici.*

Porro D. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmenian. Cap. 11. ait, *non eſſe quidquam gravis Sacrilegio Schismatis, quia præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.* Si ita; tunc illa Decreta de ſubtractione obedientiæ *juſta* eſſe non poſſunt, & qualicunque ſint gravamina, *præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.*

Evaſiſſe ſe putat Febronius, dum ait, ſubtractionem obedientiæ *extra ordinem*, & *ad tempus* decernendam fore. Sed jam patet, talem ſubtractionem non *extra ordinem*, ſed *contra ordinem* abs Chriſto in Eccleſia præſcriptum futuram eſſe: Schisma autem ſemper malum eſt, ſive *ad tempus*, ſive *perpetuo* duret; *non eſt quidquam gravius Sacrilegio Schismatis, quia præſcindendæ unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.* Subtractio obedientiæ ad tempus eſt Schisma ad tempus, & ſubtractio obedientiæ perpetua eſt Schisma perpetuum: Schisma autem non ſolum duratione, ſed

in-

intrinſece malum eſt, ſive dein temporaneum, ſive æternum ſit. Nulla fere facta diviſio eſt, quam non *ad tempus* ſpecie alicuius boni eius authores à ſe factam defenderent. Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani cauſas ſuæ ſeparationis ab Eccleſia afferebant, puncta quædam & conditiones proponebant, quibus ſalvis ſe reverti promittebant; Schiſma ad tempus videbatur, & factum eſt perpetuum, cum conditiones ſalva fide & Authoritate Eccleſiæ impleri non poſſent. Febronius approbat, conſulit ſeparationem *ad tempus*: ſed ignorare non poteſt, quod ſi cauſa diſſidii foret perpetua, perpetuam item diviſionem eſſe oportere: cauſam huius ponit ſententias romanorum de articulis non modo diſciplinæ, ſed etiam doctrinæ, præcipue de Poteſtate & Jurisdictione rom. Pontificis; verum anne ſperare poterit, romanos aliquando de his articulis ſuam ſententiam mutaturos eſſe, cum ipſe Præfat. ad tom. I. dicat: *citius clavam Herculi abſtuleris, quam romanis ſua prætenſa jura?* ſimilia in ſuis Libris ſæpe repetit; igitur ipſo Judice tale

Schiſ-

Schiſma omnino foret perpetuum, dum hu-
jus cauſa perennis erit.

Attamen authoritate & exemplis ſe munit adverſarius, quibus ſubtractionem obedientiæ & licitam & utilem eſſe oſtendat. Hisce res nondum conficitur; ſuperius iam dixi; ſi Febronius in re tanti momenti quidquam ſolide ſtatuere voluiſſet, iam non authores & exempla medii atque recentioris ævi, ſed veterem traditionem, Patres afferre debuiſſet, ſed hos contradicere iam vidimus, & ex traditione nulla genuina exempla in hunc finem proſtant, quin illa aperte adverſatur.

Contra hæc allatis ex Gallia, Germania, Hiſpania exemplis ſubinfert Febronius; *ſchiſmatica ergo Gallia fuit anno* 1408. *Germania anno* 1439. *Hiſpania anno* 1524.? ut ad iſta tibi reſpondeam, non Notis tantum, ſed integris diſſertationibus opus foret; originem enim, cauſas, motiva, mentem, modum, ac ſenſum, finemque reſiſtentium expendere oporteret, ut oſtendi poſſit, quæ & qualis fuerit reſiſtentia, obedientiæ ſubtrac-
tio,

tio, ex quibus etiam pateret, Febronium in his exemplis ſuo ſenſu in vanum triumphare. Inter alia adducit exemplum ſubtractionis obedientiæ in cauſa diſſidii inter Philippum Pulchrum Galliæ Regem & Bonifacium VIII., ſed univerſitas pariſienſis, in hac cauſa teſte Egaſſio Bulæo in hiſtor. eiusdem univerſit. hanc ſententiam tulit, cui etiam Eccleſia gallicana aſſenſit: *ſolvi quidem hunc nexum in inferioribus Epiſcopis romani Pontificis authoritate, à quo, velut à fonte, omnis eorum Jurisdictio fluit, derivatur, ac pendet. Ad ipſius romani Pontificis cum Eccleſia nexus niſi ſolius Dei authoritate ſolvi non poteſt, quia in terris ſuperiorem non habet, ipſe de omnibus iudicans, à nemine iudicandus. -- -- -- Univerſalis Eccleſia emanat à Petri ſede, quæ unitatis eſt origo.* Et infra: *huiusmodi ſubditorum ſubtractio nullo modo cadit in ſummum hierarcham, nec poſſibile eſt per hominem ſibi ſubtrahi ſubditos, quoniam non habet ſuperiorem in terris, ſed omnis anima ſibi ſubdita eſt.* Patet hinc in exemplo è Gallia allato veram ſubtractionem obedientiæ in ſenſu Febronii non fuiſſe, & ſi fuiſſet, ab univerſitate & Eccleſia gallicana

(quid-

(quidquid timore Principis egerint Epiſcopi) ut iuſtam & legitimam agnitam non fuiſſe. Subtractio obedientiæ Anno 1408. facta fuit tempore Schiſmatis, & contra Benedictum XIII. qui non erat certus Pontifex. Similia ferme adverſus alia exempla proferri poſſent.

Sic etiam Febronius pro exemplo & argumento adducit Epiſtolam Concilii baſileenſis ad Eugenium P., ubi refertur, ob iuſtas rationes obedientiam rom. Pontificibus etiam alias denegatam fuiſſe. Sed ridiculum eſt, ſchiſmaticos inſtar exempli afferri, ut evincatur, ſubtractionem obedientiæ licitam, atque Schiſma non eſſe. Cur Baſileenſes tantopere inſudarunt, ut unitum ſibi haberent Papam, ſi eorum inobedientia iuſta & licita fuit? cur aperte ab omni Eccleſia impoſterum tunc pro ſchiſmaticis habiti ſunt, quando ſententiam depoſitionis in eum proferendo publice eum abiecerunt? poſtquam ſuperiori licet denegare obedientiam & ſubiectionem, facilis gradus eſt ad eum, ut ſuperiorem, abiiciendum. Sed & exempla Baſileenſium nihil proficiunt; aliud quippe eſt, cum Papa

diſpu-

diſputare, vel etiam contendere; aliud negare obedientiam, & ſcindere unitatem.

Pariter memorat Febronius ex Thuani hiſtoria, Carolum V. Imperatorem *per univerſam Hiſpaniam authoritatem nominis pontificii ſuppreſſiſſe, exemplo ab Hiſpanis Poſteritati relicto, poſſe eccleſiaſticam diſciplinam citra nominis pontificii authoritatem ad tempus conſervari.*

At profecto hoc exemplum Caroli V. in Sæculo XVI. authoritatem genuinæ & ſacræ traditionis in Eccleſia non obtinet: potuiſſet Febronius etiam addere Captivitatem Pontificis ab exercitu Caroli V. factam, diram divexationem Papæ in Cuſtodia direptionem & expilationem ædium pontificiarum, Urbisque, quæ eſte Sandino in vit. Clement. VII., dum roma ſexies direpta fuit, erat omnium fœdiſſima. Quis unquam irati Principis vindictas, hoſtilitates, vel etiam victorias bellicas in Eccleſia dogmata vel Canones eſſe cenſuit? dicat Princeps: hæc mea ſunt, meæ Poteſtati ſubiiciuntur: vindicet ſibi etiam ea vel ſuâ præpotentiâ, vi, aut ignaviâ

viâ Paſtorum Eccleſiæ: exempla quidem hæc & facta ſunt, ſed utrum hæc facta legitima, & etiam jura ſint, de hoc quæritur? de hoc diſputare vel inquirere, non eſt initium vel cauſa rebellionis, quia cauſa iam non vertitur inter ſubditum & ſuperiorem, ſed inter utramque Poteſtatem politicam atque eccleſiaſticam, quæ ab invicem non dependet, & utriusque fundamenta perquirere licet. Cæterum non negamus, aliquos ſe ab Eccleſia romana ſeiunxiſſe, ſed utrum licuerit ſeiungere, monſtrandum eſt. Ut ergo Febronius oſtenderet, ſubtractionem obedientiæ iuſtam ac licitam eſſe, non debuiſſet triſtia exempla ex poſterioribus ſæculis afferre, ſed prius demonſtrare, hæc exempla & facta ſecundum leges ac jura Eccleſiæ etiam legitima & canonizata eſſe.

Denique Febronius flagitium ſuum emollire ſtudet per inanes diſtinctiunculas, dum ait, ſubtractionem obedientiæ ſtatuendam fore, non illius, *quæ eſt juris divini*, *ſed quæ humani*, circa ea nempe, *quæ conſenſu tacito, ſive expreſſo romanæ ſedi adiecta fuerunt.* Dein

ait,

tit, *hanc temporariam & juſtam ſeparationem* non fieri *à ſede*, ſed *à ſedente*. Verum utrum ea, de quibus nobis hactenus ſermo fuit, ſint *juris humani*, ad minimum adhuc controvertitur: Febronius hoc ſuis argumentis neutiquam demonſtravit; nos econtra potius contrarium evicimus, atque in dubio ſaltem nondum liceret, ſe periculo tanti criminis atque Schismatis exponere. S. Bonifacius I. & Nicolaus I. PP. aliique veteres negant, Synodos Nicænam & alias auſas fuiſſe aliquid addere ſupra Primatum Petri, quod non ipſe iam à Chriſto Domino accepiſſet; idipſum Concilia ſæpe atque ſatis clare agnoſcunt, quorum teſtimonia multoties retulimus. Ergo illa ſubtractio non foret ab obedientia, quæ eſt *juris* mere *humani*, ſed vere *divini*, id eſt, à Primatu Petri. Nec etiam ſeparatio fieret *à ſedente* ſolum ſed etiam *à ſede*; quippe Jura Primatus non ſunt Privilegia mere perſonalia, huic vel alteri Perſonæ affixa, atque cum Perſona interitura, ſed ſunt jura *ſedis*, quæ à Petro uſque ab uno ſucceſſore in alios pertranſeunt. Verum de hoc inferius plura.

Interim per hæc etiam ea, quæ ſubſequentibus numeris à Febronio dicuntur, iamiam præoccupata ſunt, atque reſponſum ferunt.

§. V.

Hæc multo commodius expediuntur in Regno monarchico.

In aliis romana Curia facilius diviſiones excitat.

Quandoque Principes ſæculores propter propria ſua commoda exorbitantes Romanorum prætenſiones tolerant, imo ſuſtinent.

Longe commodius hæc tractantur, definiunturque in Regno monarchico, qualis eſt Gallia, quam in Germania, cuius ſyſtema ad hoc minus idoneum eſt. Non competit Imperatori, ſicut Regi Galliæ idem Imperium in Epiſcopos, neque eædem rationes publicæ & commoda ſuppetunt. Germaniæ Epiſcopi per Capitulationes toties prohibitas, & ſemper ſubſtitutas ſingularem nexum habent cum ſuis Capitulis cathedralibus: egent archiepiſcopi gratiâ & Epiſcopi romanæ Curiæ ad obtinenda Brevia eligibilitatis &c., Canonici cathedrales, pro obtinendis Beneficiis & diſpenſatione ſuper eorum pluralitate &c. Si

Gal-

Gallia exemplo præiret, & Imperator, qui non levem in res Epiſcoporum & Capitulorum influxum habet, præſertim in electionibus, quibus potenter præſidet, has res ſacras in diætis publicis proponeret, & urgeret ſicut Carolus V., ſperandum foret, Germaniam Italorum machinationibus, & ſua credulitate toties deluſam, priſtinam libertatem recuperaturam eſſe; attamen oporteret privata ſingulorum ſtudia ſeponi.

1. Quoties in Germania de recuperanda libertate actum fuit, romanæ Curiæ ſtudium fuit, tum rationibus politicis Imperatoris animum ad ſe inclinare, tum *Epiſcoporum & Principum* dividere Conſilia ac commoda. Legitur apud Gobelinum in Commentar. de geſtis Pii II. L. 1. pag. 25. mortuo Nicolao V. Papa non paucos ſuaſiſſe Cæſari, nunc tempus eſſe coercendi ſedem apoſtolicam, ne tantum in Germania poſſet, non prius obediendum rom. Pontifici, quam ea concederet, quæ Natio germanica optaret &c. Contra Æneas Sylvius aiebat, non eſſe è re Cæſaris, rom. Pontificis authoritatem reprimere, ut Populi gratia iniretur, Papam Imperato-

ris, & Imperatorem Papæ auxilio indigere; ſtultum eſſe illi nocere, cuius exſpectes opem &c. Vicit Æneæ ſententia, atque ipſe miſſus eſt, qui ea perageret, quæ ipſe ſuaſerat. Hæc *ad Imperatorem* pertinent. Quod *ad Epiſcopos* & *Principes* attinet, ſcripſit idem Æneas Sylvius Epiſt. 334. ad Laurentium Rovarella Nuntium apoſtolicum in Germania apud Trithem. ad ann. 1495. *in hiſtor. Bell. bavar.* ut Conſilio cum Imperatore collato curet, ut hic ſcribat Archiepiſcopis magdeburgenſi, rigenſi, trevirenſi, ſalzburgenſi, ne in innnovationes aliquas conſentiant, & omnia ad Imperatorem referantur, ſimiliter ut Dux bavaricus talia ſcribat Palatino Rheni, præcipue quod facilius filii Principum promoveantur per ſedem apoſtolicam, quam per Capitula & ordinarios.

2. Haud raro Poteſtates ſæculares in ſuſtinenda per exceſſum pontificia Authoritate ſibi præſidium quærunt. Anno 1740. obtinuit Rex Galliæ pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, & ad interim pro ſocero ſuo Stanislao Rege Poloniæ indultum providendi per viam Commen-

mendæ omnibus Abbatiis in Ducatibus Lotharingiæ & Barri ſitis: vocavit quædam abbatia, quæ ſemper fuit electiva, Confirmatione pertinente ad Epiſcopum, & à Pontifice nunquam exercitâ: prætendebant Monachi, ſuam abbatiam in Indulto non poſſe comprehendi; repoſuit Miniſterium Stanislai, etſi terræ lotharingicæ prius Concordato germanico uſæ fuerint, nunc, cum illæ Galliæ perpetuo ceſſæ & unitæ ſunt, ſtatum mutaſſe, ſicque ſublato Concordato revixiſſe prætenſionem & jus anterius ſummæ ſedis ad collationem omnium beneficiorum ante Concordatum habitum, quod nunc per Indultum ceſſum fuit regibus Galliæ & Poloniæ.

Extant Brevia recentiora & antiqua à Regibus & Principibus obtenta ad collectandum Clerum: niſi de eorum emolumento ageretur, ne umbram juris in temporalia Eccleſiarum ſui Regni rom. Pontifici concederent, nunc ob propria commoda talia petunt, & obtinent, ſicque romanis anſam-

dant, ſibi arrogandi & ſuſtinendi jura, alias non competentia.

3. Stephanus Paſquier obſervat, Papam, dum ſedem in Galliam transtulit, Regi conceſſiſſe decimas à Clero levandas, & econtra Regem Papæ gratias exſpectativas, Proviſiones extraordinarias, & exactiones de beneficiis ad ſuſtentationem ſui ſtatus.

Nota.

Per hæc jam non ſola romana Curia, ſed & Reges, Principes, Epiſcopi, Capitula ſuggillantur, carpunturque. Mirum eſt, Febronium, qui nulli Statui ac Poteſtati etiam maximæ parcit, tanto favore & plauſu ubivis fere excipi, foverique. Si male agunt Reges, Principes, Epiſcopi, Capitula, ipſi ſe defendant: ſi Epiſcopi & Capitula Germaniæ tantopere pluralitati Epiſcopatuum & beneficiorum &c. inhiant, ſi Capitulationes tantum noxias contra omnem prohibitionem nunquam volunt dimittere, culpa jamjam in hos importunos ac Potentes Petitores rejicietur, Roma excuſari debebit, &

neceſ-

neceſſe erit, ut Germani ſuam prius maculam abſtergant: hæc ex febronianis dictis ſequuntur, quibus ego ob cultum cuivis Nationi & ſuperioribus debitum non ſubſcribo.

Interim hic non quæritur, quid commodius, quid facilius in hoc vel alio Regno fiat? ſed utrum res ſacræ, & negotia eccleſiaſtica Jure atque legitime *à Poteſtate ſæculari* & in diætis publicis profanis tractari atque decidi poſſint? quod ſi Poteſtas eccleſiaſtica revera exiſtit, ſicut ex teſtimonio divinarum ſcripturarum & ſacræ traditionis revera exiſtere diſcimus, tunc dicimus, negotia eccleſiaſtica à Poteſtate eccleſiaſtica *tractanda & definienda* fore. Quod ſi alicui Eccleſiæ aut Nationi à Poteſtate eccleſiaſtica certum & injuſtum gravamen inferatur, per apta remedia, non qualia Febronius ſuggerit, providendum erit, de quibus in fine dicemus.

Superiori paragrapho exempla protulit Febronius, quæ & facto & animo alienos à rom. Pontifice oſtendebant Principes, unde concludebat, ſubtractionem obedientiæ à

Papa licitam & iuſtam eſſe. Modo exempla adducit, quibus, non obſtante, quod multi dicerent, novo Pontifici obedientiam præſtandam non eſſe, niſi prius gravamina tolleret, nihilominus Imperator concluſit, obediendum eſſe, atque ne innovationes à Principibus & conventiones contra Pontificem fierent, impedivit; Reges Galliæ quoque & alii Principes jus Pontificis in temporalia Eccleſiarum & collationem omnium beneficiorum ipſo facto agnoverunt: an non pari jure ex his exemplis concludendum erit, propter quæcunque gravamina rom. Pontifici obedientiam non eſſe detrectandam; eidem in bona temporalia Eccleſiarum & beneficia non meram prætenſionem, ſed jus competere? ſi hoc negat Febronius etiam nego ex prioribus exemplis idem, quod ipſe vult concludendum eſſe, ſicque meris exemplis, præcipue quando invicem contraria opponuntur, nihil conficitur, quia, ut dixi, adhuc ſemper probandum reſtat, quænam facta & exempla ſint legitima? per hoc autem totus ſuperior Febronii paragraphus de ſubtractione obedientiæ penitus ruit.

Por-

Porro hic iam probare intendit author, quod romana Curia *Imperatorem* in ſua ſtudia rationibus politicis ſemper inclinet, *Epiſcoporum* vero & *Principum* dividat Conſilia. Verum quod ſæpius factum, & tanquam principium in aliqua Curia vigere cenſetur, non unico tantum exemplo probatur, aut perſuaderi poterit: debuiſſent de hac re plura & certiora afferri. Attamen neque hoc exemplum quidquam probat, atque in hunc finem falſo adducitur. Non Curia romana, ſed Æneas Sylvius talia Imperatori perſuaſit; hic autem tum mortuo Nicolao V. Cardinalis nondum fuit, primum anno 1456. à Calliſto III. ad Cardinalatum aſſumptus. Si dein Pontifex conventiones & innovationes in rebus eccleſiaſticis impedivit, id egit, quod ſui juris erat, de fraude, dolo poſtulari non poteſt, quia omnia cum Conſilio Imperatoris fieri, & ad hunc referri voluit.

Denique ut Febronius ſuas opiniones contra quoscunque defendat, quando Reges

& Principes in rom. Pontifice ea jura agnoſcunt, quæ ipſe eidem denegat, deſuper Indulta, diſpenſationes petunt, obtinentque, parum ei refert, hos Reges ac Principes de vitio proprii intereſſe, commodi & utilitatis accuſare, ut iniuſtas prætenſiones Papæ ſuſtineant. Videant iam Principes, qualem ſibi in Febronio nacti ſint conſultorem.

§. VI.

Quartum remedium haberi poterit in concordi Conſtituto catholicorum Principum, adhibito pro horum directione eccleſiaſticorum, maxime Epiſcoporum Conſilio.

Narrat Author remedium, quod pro diuturno Schiſmate extinguendo aptum excogitavit Carolus VII. Rex Galliæ, & probavit Æneas Sylvius Epiſt. 54., ut fiat Conventus omnium Principum & Regum, vel eorum Oratorum, & ille pro indubitato Papa haberetur, cui omnes Principes obedirent. Hoc remedium quare non ſit idoneum extirpandæ malæ radici, quæ graviſſimo omnium

nium Schiſmati, hodieque perduranti ortum dedit, & reſtituendo anteriori Juri?

1. Quam oportuna & neceſſaria ſit hac in parte Principum authoritas, maxime ad tollendum Schiſma, probat Petrus Regis *in hiſtor. Concil. conſtant.* pag. 29. quod nempe omnis Catholicus teneatur ad reducendam Eccleſiam ad obedientiam unius rom. Pontificis, & ſpecialiter ad hoc teneantur Principes, quia non reperitur in Chronicis Schiſma ſedatum, niſi per Principes: & Pelagius P. ait, Principes timere non debent punire facientes Schismata, hocque poſſunt authorite judiciali vel principali, imo authoritate propria juxta decretum Bonifacii VI. *Si duo contra fas* 79. *Diſt. C. ſi quis.* 96. *cum Gloſſa. L. ſi quis in hoc genus. Cod. de Epiſcop. & Cler.*

2. Opponentibus, has res ad ſæcularium Principum authoritatem non pertinere, reſpondet Duarenus Lib. 1. Cap. 5. Equidem de rebus ſacris ac ſpiritualibus judicium eſſe ipſius Eccleſiæ, ſed ubi ſemel conſtituta ſunt & judicata, Magiſtratus officium eſſe, Eccleſiæ judicia & decreta tueri, conſervare,

&

& executioni mandare, in hunc finem tot conſtitutiones Principum editas eſſe circa officia, & diſciplinam eccleſiaſticam, hoc jure uſos fuiſſe Galliæ Reges in ſuos Epiſcopos & ipſos romanos Pontifices.

3. Idipſum præſtiterunt optimi Principes Conſtantinus M., Theodoſius, Marcianus, Juſtinianus: notanda eſt præprimis hujus Novella 137.

4. Baronius Juſtinianum carpere tentavit, quaſi temere manum Altaribus admovere, & ſacra tangere auſus ſit. Sed Juſtinianum vindicant & laudant Joannes P. II. Joannes VIII. Epiſt. 163. Hincmarus opuſc. C. 17. Ivo Carnot. Epiſt. 280.

5. Cardinalis Cuſanus de Concord. cathol. L. 3. Cap. 40. ait, neminem dicere, quod Imperatores per tales ſacras Conſtitutiones erraverint, vel ita ſtatuere non potuerint: imo legitur, Pontifices eos rogaſſe, ut eas ederent, neque harum robur ab apoſtolicæ aut ſynodicæ authoritatis approbatione dependet, quia non legitur, Papam rogatum

gatum eſſe, ut approbaret, vel eas ideo ligaſſe, quia eius approbatio intervenit.

6. Principes fere ſolos malis Catholicæ rei remedium tuliſſe, & pacem procuraſſe, probatur ex Conſtantino M. Carolo M. Sigismundo, ſanctione pragmatica in Gallia, Carolo V., Ludovico XIV. Galliæ Rege.

7. Gerſon *Tract. de reform. eccles. Cap.* 20. ſcripſit, contra bonum, utilitatem & ſanationem univerſalis Eccleſiæ nulla jura, nulla decreta, nullam alicuius juſtitiam acceptandam eſſe: hoc feciſſe antiquos & probos Imperatores &c., non habentes reſpectum ad quodcunque jus, quod pro ſe poſſet quis Papa allegare, ut univerſalis Eccleſia propter privata commoda diviſionem non pateretur, nec in detrimento ac Schiſmate eſſet.

8. Si difficile foret, omnes, vel plerosque catholicos Principes adunare, compendioſiori viâ Joannes Schilterus JCtus propoſuit Conventum ſaltem inter Germanos & Gallos, quorum exemplum aliæ Nationes facilius ſequentur. Lib. 7. Cap. 14. §. 23.

Nota.

Nota.

Concors Principum catholicorum conſtitutum, quod pro quarto remedio ponit Febronius, haud ſemper improbandum erit, ſed moderamen, modum, cauſam, finem penſare neceſſe eſt. Quid pro bono Eccleſiæ egerint Conſtantinus, Theodoſius, Valentinianus, Marcianus Imperatores, nemo ignorat: horum intentio & ſtudia non ad deprimendum Primatum Petri & romanos Pontifices tendebant, non ſubtractionem obedientiæ volebant, vel minitabantur, ſed econtra unitatem, ſubmiſſionem & pacem cum Eccleſia romana ac Sede apoſtolica colebant, inducere & firmare ſatagebant: lites & cauſas eccleſiaſticas à ſe repellabant, negotia eccleſiaſtica in Synodis vel à rom. Pontifice tractari & terminari præcipiebant, Decreta, ac ſtatuta ibi concluſa ſuis legibus firmabant, & executioni dabant. Quod ſi negotiis eccleſiaſticis ſeſe amplius, quam par erat, immiſcere viſi ſunt, id tum rogatu ipſorum Pontificum contigit, tum ſuadente illius temporis Eccleſiæ æconomiâ,

quod

quod ex una parte de eorum bona, in intereſſata intentione & Zelo pro Eccleſia conſtaret, ex altera ſine eorum auxilio & authoritate cauſa ad finem perduci non poſſet. Horum igitur Imperatorum exemplum, vel potius intentio & ſtudium proponendum eſt, non illorum Principum, qui malis artibus circumventi, vel ad iram, vindiſtam incitati, ſuorum bonorum & terrarum incrementum quærentes, bonorum eccleſiaſticorum invidiâ flagrantes, ſub prætextu pacis reducendæ, evangelicam paupertatem & humilitatem inducendi, ſua jura majeſtatica tuendi, Chriſtianos, Clerum, Eccleſias ſpoliarunt, divexarunt, & Eccleſiæ maxima mala intulerunt, ſecus etiam Julianum, Valentem, Henricos, Fridericos & multos alios, à quibus totá Eccleſia abhorruit, in exemplum adduce poſſes.

Sed & cauſa atque finis attendi debent. Si de Schismate agatur inter ipſos Pontifices dubios & eccleſiaſticos, atque inter hos non componatur, plurimum valet authoritas Principis, ut Eccleſia univerſalis ad obedientiam unius Pontificis ſublata Schismate reduca-

ducatur, quia unitas Capitis in Eccleſia omnino neceſſaria eſt, in quo opere maxime laudandus venit Sigismundus Imperator.

Quod ſi cauſa ſit talis, quæ fidem & doctrinam in ſubſtantia non attinet; ſed tantummodo diſciplinam variabilem, quæ per recentiores Canones, aut ſaltem ipſam obſervantiam & praxin Eccleſiæ firmata eſt, etſi antiquitus alia diſciplina viguerit, eo ipſo, quod hæc variari poſſit, & nunc, utique non abs cauſa variata ſit, non eſt; quod Principes ſuam authoritatem interponant, & aures præbeant illis, qui vel immoderato Zelo, vel ambitione, invidiâ, aut propriis commodis inflammati continuo querelas movent, omnia in priſtinum ſtatum reduci poſtulantes; hi potius repellendi ſunt, ſilentio eis impoſito, qui pacem, quæ eſt in Eccleſia, rumpunt, omnia turbant, cauſam dant Schiſmati atque ſeditionibus; ſi enim Principes non tolerant eos, qui ſuis novis legibus in Regno non obtemperant, & iis obloquuntur; quare facile audiant, & ſuo auxilio juvent

illos,

illos, qui Eccleſiæ & ejus Primatibus obmurmurant, atque deſpiciunt?

Alia cauſa eſt, quando aliqua Eccleſia vel tota Natio nimium vel injuſte gravatur. Hic iterum multum valet authoritas & patrocinium Principis; ſed moderamine utendum eſt: hujus exemplum dederunt Epiſcopi Galliæ anno 1681. in Conventu Pariſiis habito occaſione juris regaliæ & nonnullorum brevium apoſtolicorum, item omnes tres Regni ordines anno 1439. ſub Carolo VIII., de quibus in fine hujus Capitis: non autem ocius cauſa in ipſo Conventu nationali decidenda eſt, & ſi non mox conſentiat, ſeque ſubmittat Papa, obedientia ei neganda erit.

Porro illud remedium de concordi catholicorum Principum conſtituto in cauſa Schismatis ſuggeſſit Carolus VII. Rex Galliæ, & approbavit Æneas Sylvius: in Schismate autem alias pertinaci hoc remedium valere, & optimum eſſe, ſupra dixi; intelligo Schiſma, quod in facto & jure tale eſt, ſeu quando Eccleſia non ſolum inter plures Pontifices ſcinditur, ſed ipſa jura Pontificum, de qui-

bus controvertitur, ſint dubia, ut Eccleſia non facile poſſit decidere; quale Schisma fuit tempore Concilii conſtantienſis. Econtra Schisma, quod tempore Concilii baſileenſis inter Eugenium IV. & Felicem Anti-Papam, equidem in facto fuit, ſed nullo jure fulciebatur, quia Eugenius certo fuit legitimus Pontifex, à tota Eccleſia agnitus, & ideo nullo jure licuit ab eo recedere, & hoc ipſo, quia Conciliabulum ab eo receſſit eum deponendo, & alium ſubſtituendo, Schisma fecit. Nihilominus ratio, quam in ſua Epiſtola pro illo remedio ſuadendo affert Æneas Sylvius, Febronius autem approbat ſolum liberiores expreſſiones excuſans, omnino ſuſpecta atque periculoſa eſt. dum ait: *omnes hanc fidem habemus, quam noſtri Principes, qui ſi colerent Idola, & nos coleremus, & non ſolum Papam, ſed etiam Chriſtum negaremus, ſæculari Poteſtate urgente.* Idem quidem & hodie jamjam, & quovis fere tempore dici poteſt; ſed hoc bene & prudenter ſemper fieri, quis affirmabit? ſecus cum Principibus ethnicis omnes ſubditi Ethnici, cum Arianis Ariani, cum Iconoclaſtis Iconoclaſtæ &c.

fuiſ-

fuiſſent, aut eſſe debuiſſent. Quis ergo ex tali Conventu & Principum conſtituto de ſua Religione & fide ſecurus erit? taliter nec in hoc remedio multum fiduciæ ponendum foret. Vides Caput in Eccleſia magis neceſſarium eſſe, quàm Principem.

Ad 1. 2. 3. In his de Schismate tollendo ſermo eſt, atque in omnibus aſſentior. Quando Duarenus dicit, in rebus ſacris judicium eſſe penes Eccleſiam, & Magiſtratus officium eſſe, quæ ſemel ab Eccleſiâ conſtituta & judicata ſunt, tueri, conſervare executioni dare, inde aperte evincitur, Principes in re eccleſiaſtica propria authoritate leges condere non poſſe, ſed ſolum in ſubſidium Eccleſiæ & executionem legum eccleſiaſticarum, ideoque hos prius Eccleſiam audire debere. Ipſe Juſtinianus Imperator in citata à Febronio Novella 137. perſpicue ait, ſibi legem civilium *Poteſtatem* à Deo traditam eſſe, Canonum & Legum divinarum tantum *cuſtodiam*. Et infra; *ad ſingulorum, quæ nobis contra Clericos, Monachos & quosdam Epiſcopos delata ſunt, inquiſitionem & correctio-*

nem juſſimus, canonice procedere. Sed *canonica* inquiſitio & correctio tum fiebat per Epiſcopos & in Synodis: ergo Poteſtatem in Clericos, Monachos, Epiſcopos propria autoritate ſibi non arrogabat Imperator, qui præter alia etiam Novell. 83. declarat: *ſi eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione eccleſiaſtica & mulcta, Epiſcopus hoc decernat, nihil communicantibus Provinciæ Judicibus: neque enim volumus, talia negotia omnino ſcire civiles Judices, cum oporteat, talia eccleſiaſtice examinari, & emendari animas delinquentium per eccleſiaſticam mulctam ſecundum ſacras & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges.* Ex his conjici valet, quo ſenſu, quo animo Juſtinianus tulerit leges eccleſiaſticas, quæ ſæpe pro exemplo opponuntur.

Ad 4. Si Juſtinianus in aliquo illaudabilis extitit, non ſequitur, in omnibus vituperandum eſſe, ſed adhuc laudem mereri in iis, quæ bene geſſit. Certe multa pro vera Religione & Eccleſia optime egit hic Imperator, queis æternam laudem meretur. Quæ Joannes II. Joannes VIII. PP. Hincmarus, Ivo,

Car-

Carnot. in eo laudant, pariter laude digniſſima ſunt; quas enim leges ex dictatu, rogatu & judicio Epiſcoporum vel Synodorum, aut conformiter ad Canones Eccleſiæ prævios pro horum executione ſtatuit, eo ipſo ab Eccleſia probatæ jam ſunt, probarique merentur. Tales ſunt autem illæ, de quibus loquuntur citati Pontifices & Scriptores. Verum inde non ſequitur, etiam id, quod illaudabile geſſit, laudari, probarique, vel quod propria ſua authoritate leges in Eccleſia Dei condere, atque in eam quidquam Poteſtatis exercere poſſit, tanquam verus Eccleſiæ Legislator & Judex.

Ad 5. 6. 7. 8. Cardinalis Cuſanus vel non omnia, vel non bene legit: Sanctiſſimi primorum Sæculorum Patres, genuinæ traditionis teſtes & Cuſtodes tum Occidentis tum Orientis Regimen ſpirituale à Politico prorſus diſcriminant, ut Imperatori & Principibus Sæculi in Eccleſiam & eccleſiaſtica per ſe jus nullum eſſet, nulla Poteſtas, & ſi quid nimis in eccleſiaſtica negotia ſeſe immiſcerent, graviter eos dehortati ſunt. Audia-

diamus fidiſſimos teſtes, & veros Eccleſiæ Doctores.

Oſius Cordubenſis Symboli nicæni dictator, qui primi chriſtiani Imperatoris, Magni Conſtantini temporibus vixit, ejus filium Conſtantium ab Arianis ſeductum, & eorum perſuaſione negotiis eccleſiaſticis immiſcentem vigore Epiſcopali, noſtris Sæculis fere ignoto, graviter admonuit in Epiſt. Athanaſ. ad Solitar. vit. agent. *Ne te miſceas eccleſiaſticis, nec nobis Epiſcopis Imperator in hoc genere rerum eccleſiaſticarum præcipe, ſed ea potius à nobis diſce: Deus tibi Imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiæ. -- -- -- Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Eundem Imperatorem SS. Epiſcopi Paulinus trevirenſis, Lucifer calaritanus, Dyoniſius mediolanenſis ſerio adhortati ſunt, *ne eccleſiaſtica corrumperet, neve romanorum Imperium eccleſiaſticis Conſtitutionibus immiſceret, nec Epiſcopis dominaretur.* Quorum judicium citatâ Epiſtolâ comprobans magnus Athanaſius, vel quisquis eſt vetus author, addit: *nihil cogitari poſſe in re chriſtiana monſtroſius, quam*

Regem

Regem eccleſiaſticas controverſias velle judicio ſuo definire. Quod quoniam Conſtantius ille Arianus tentaret, & præſidere vellet Judiciis eccleſiaſticis, ſeque in decernendo Principem facere Epiſcoporum, quis non dicat, illum eum ipſam eſſe abominationem deſolationis, quæ à Daniele prædicta eſt? nam in hoc, quod Antichriſtus eſt, facit, & quid Antichriſtus, cum venerit, plus committere poterit? Gregorius Nazian. oratione 17. Theodoſium Imperatorem ita affatur: *Te quoque, o Imperator, Imperio meo & throno lex Chriſti ſubjicit; Imperium enim nos quoque Epiſcopi gerimus.* D. Chryſoſt. tom. 1. in Iſaiam hom. 4. *mane intra terminos tuos, ò Rex, alii ſunt termini Regni, alii Sacerdotii; hoc regnum illo majus eſt, Rex ea, quæ ſunt in terris, ſortitus eſt adminiſtranda, jus Sacerdotii è ſupernis deſcendit.* Orienti concinit Occidens.: D. Martinus trium mortuorum ſuſcitator teſte Sulpitio Severo hiſtor. Lib. 2. coram maximo exclamat: *novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſæcularis judicet.* S. Ambroſius Epiſt. 21. alias 22. ad Imperatorem Valentinianum Juniorem: *certe ſi vel ſcripturarum ſeriem divinarum, vel retera*

  tera

tera tempora retractemus', quis eſt, qui abnuat, in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare? -- -- -- Pater tuus vir maturioris ævi dicebat: non eſt meum judicare inter Epiſcopos: tua nunc dicit Clementia: ego debeo judicare. Idem in Epiſt. ad Soror. 33. *noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere; ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubjectus: ſcriptum eſt, quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum &c.* Et infra: *Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt.* Hilarius Pictavienſis cum Oſio, Athanaſio, Paulino & reliquis Conſtantinum Imperatorem in Libell. ad Conſtant. cit. ita alloquitur: *provideat, & decernat Clementia tua, ut omnes ubique Judices, quibus Provinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à Religioſis ſe negotiis abſtineant.* S. Gelaſius I. in Commonitor. ad Fauſt. *ſi quantum ad Religionem*

per-

pertinet, non niſi apoſtolicæ Sedi juxta Canones debetur totius ſumma judicii; ſi quantum ad Sæculi poteſtatem, illa à Pontificibus, & præcipue ab B. Petri vicario debet cognoſci, quæ divina ſunt, non ipſa eadem judicare, nec ſibi hoc quisquam potentiſſimus Sæculi, qui tamen Chriſtianus eſt, vindicare præſumit, niſi religionem forſitan perſequens. Denique in ſanctis Baſilio, Hyeronimo, Lucifero, Auguſtino nihil frequentius occurrit, quam Regibus Palatia, Epiſcopis Eccleſias: illis corpora, his animas: illis externa reipublicæ civilis, his interiora Reipublicæ & Eccleſiæ divinæ: illis pacem & regimen politicum, his diſciplinam & Regimen ſpirituale eſſe Chriſti præceptione mandatum.

Hæc mens, hæc vox fuit veterum ſanctorum Epiſcoporum; hanc tenere & prædicare debent hodie quoque Epiſcopi, ſi ſint, & eſſe volunt eiusdem Poteſtatis & hæredes, & genuinæ traditionis doctores.

In vanum quis hæc teſtimonia de ſolis cauſis fidei interpretari laborabit, quando aperte controverſias, negotia eccleſiaſtica,

Eccleſias ad Imperatorem non pertinere audacter aſſeverant, quando ſuam Poteſtatem Imperium & Eccleſiam Regnum vocant; Regnum enim Dei, quod præſentis temporis Eccleſia dicitur, non in ſola doctrina fidei, ſed in vero regimine, in Poteſtate, Imperio & iugi diſciplina concluditur.

Porro etſi egregia hæc teſtimonia abeſſent, ſola primæva Eccleſia ab ipſa inſtitutione Chriſti clariſſime convincet, nullum jus, nullam Poteſtatem Principibus ſæculi in Eccleſiam eſſe. Nullo Jure divino ſcripto vel tradito Regibus ulla Jurisdictionis Poteſtas in rebus, cauſisque eccleſiaſticis conceditur: neque vero ulli Reges chriſtiani erant ab initio, quibus aliquam Poteſtatem Chriſtus commiſerit. Stetit per annos propemodum trecentos feliciter Eccleſia, quod docent inſignia incrementa, quæ tot inter, tantasque difficultates fecerat: attamen penes Imperatores, penes Reges, penes Principes, penes Magiſtratum civilem prætenſa hæc poteſtas eſſe non potuit, quia quicunque fere illis temporibus Reſpublicas gubernarunt, Pagani

&

& coniuratiſſimi Chriſtianorum hoſtes erant. Si prima tria ſaecula conſulamus, ſane actum eſt de tota illa quaeſtione, quam hodie minus ſobrie de Poteſtate Principum *circa* & *in ſacra* propugnant vel perverſis principiis imbuti, vel adulari volentes, vel ignavi & modicae fidei homines, timentes eos, qui corpus poſſunt occidere, & non timentes potius Deum, qui corpus & animam poteſt perdere in Gehennam, quique per ſuas explanationes & nimias Auxeſes Eccleſiam & Imperium non concordant, ſed confundunt, magis collidunt, Eccleſiae non ſubſidium adferunt, ſed bellum inducunt: reſpiciant hi Neoterici veteris Eccleſiae & Canonum buccinatores ad prima tria ſaecula, ubi Regimen Eccleſiae *internum* & *externum* totum erat Paſtorum, non Regum: ubi plurima, non localia ſolum, ſed & nationalia Concilia in cauſa Paſchatis, Baptiſmi, Montani coegêre Praeſules, non Reges; ubi diſpenſationes homicidis & Maechis conceſſêre Pontifices, non Reges: ubi excommunicati ſunt haeretici & alii à Praeſulibus ſine interventu & praeſcitu Principum: ubi electi ſunt, depoſiti ſunt Epiſcopi, uti

Pau-

Paulus ſamoſatenus & alii, à Paſtoribus, non à Regibus: ubi diſciplina ordinata, Canones ſtatuti ſunt ſine Regibus: ubi uno verbo Regimen etiam externum totum erat Pontificum, non Regum ac Principum. Scio, de illa quæſtione & materia etiam præclaros & maximos viros ſcripſiſſe, hos mea animadverſione non tango, ſed plurimum veneror, quamvis fors in aliquo (quod humanum eſt) vel lapſi ſunt, vel ſuam mentem non ſatis explicarunt; verum neotericis Scriptoribus & hodiernis Canoniſtis hæc oppono, qui illis authoribus non ſolum abutuntur, ſæpe facta ſingularia in jura erigunt, qui nimium exorbitantibus ſuis ſententiis eccleſiaſticam Poteſtatem deprimunt, & Principibus inauditarum in Eccleſia prætenſionum occaſionem dant, ut adeo cauſam non habeant conquerendi contra Romanos de exceſſibus, abuſibus, uſurpationibus, cum ſimiles ipſi pro Poteſtate ſæculari doceant, conſulant, defendantque.

Sed quid tot leges, dices, ac Conſtitutiones in rebus eccleſiaſticis olim ab Imperatori-

toribus & Regibus editæ? Reſpondeo, ex ſua inſtitutione & praxi, qua primitus regebatur Eccleſia, non ex ſequiorum temporum legibus & exemplis penſandum eſt regimen Eccleſiæ. Carere poteſt Principibus Eccleſia, quia per tria ſæcula caruit; unde ſequitur, Poteſtatem ſæcularem Eccleſiæ per ſe neceſſariam non eſſe, utilem vero eidem eſſe nemo negat, ſi à Principibus catholicis ac bonis eidem impendatur; hæc igitur ſolum ſubſidiaria eſt, atque in ſola Protectione Religionis & advocatia Eccleſiæ conſiſtit; ideo optimi Imperatores primitus de ſua poteſtate perſuaſi erant, eam ſolum verſari circa protegendam Eccleſiam, qui in ſuis edictis, uti Juſtinianus præcipue, frequenter in materia eccleſiaſtica ad *ſacras regulas*, *Canones*, & *definitiones* provocant, quibus poteſtatem Eccleſiæ prædefinientem & prædecernentem ſupponunt. Sic pariter Carolus M. ſuum officium in publica tutelâ & protectione Eccleſiæ, neutiquam vero in Jure majeſtatico Regiminis, aut ſummi Imperii & ſacræ Juriſdictionis in illam conſiſtere faſſus eſt in Epiſtola ad Leonem P. *noſtrum eſt ſecundum*

auxi-

auxilia divinæ pietatis ſanctam ubique Chriſti Eccleſiam ab incurſu Paganorum, & infidelium devaſtatione armis defendere, foris intus catholicæ fidei agnitione munire &c. &c. nempe uti ſupra dixit: D. Ambroſius: Princeps *non ſupra Eccleſiam, ſed intra Eccleſiam eſt;* non eſt Princeps aut Judex in Eccleſia, ſed filius.

Quantum ergo ad Conſtitutiones Imperatorum in rebus Eccleſiæ attinet, ſecernenda ſunt facta & Jura: valent illæ pro anteriorum legum eccleſiaſticorum tuitione & executione; multæ quoque Conſilio, rogatu Pontificum & Epiſcoporum editæ ſunt ab Imperatoribus, atque prudenti æconomiâ ab Eccleſia admiſſæ, atque receptæ.

Vidimus econtra ſupra, reſtitiſſe Epiſcopos, redarguiſſe Imperatores, quando hi propria authoritate quidquam Poteſtatis vel juriſdictionis in Eccleſia moliti ſunt: ex quibus omnibus colligitur, non poſſe Principem catholicum propria poteſtate & authoritate innovare in Eccleſia, leges, diſciplinam ſtatuere, anteriorem revocare contra eam, quam

quam tenet, & ſua praxi firmavit Eccleſia, aut Imperium ſibi arrogare in ſacra & Eccleſiam, quia ſolum defenſoris & advocati, non legiſlatoris aut Judicis officium tenet. *Contra Canones nihil pragmaticum valeat, Canones Eccleſiæ teneant*, clamavit *Synodus chalcedonenſis*. Patet ergo hinc, quartum hoc remedium à Febronio propoſitum in Schiſmate inter Pontifices & ipſos eccleſiaſticos efficax eſſe, in aliis vero cauſis minus aptum, quin & incompetens fore.

§. VII.

Non ſunt hic metuenda cenſurarum Fulmina.

Neque ſubeſt Schiſmatis periculum, Cautelæ ad ſuſcipiendam & perficiendam generalem reformationem ſuppeditantur.

Hæc remedia, utut de ſe canonica, fors ſuſpecta videbuntur, quia primæ ſedi ſemper adhærendum eſt. Sed manebit ſemper prima Sedes & centrum unitatis, cui oportebit inviolabiliter inhærere, ſed diſtinguenda à cohorte Curialiſtarum & adulatorum, atque huc pertinet diſtinctio S. Leonis

P. Epiſt.

P. Epiſt. 80. Cap. 5. *aliud ſunt Sedes*, *aliud Præſidentes*. Ponderentur etiam verba Hadriani VI. P. ad ſuum in Germania legatum, in ſancta Sede abominanda, abuſus, exceſſus fuiſſe. Quærenda & omni ſtudio ſervanda eſt communio cum ipſo *Papa ſedente*, quamdiu doctrinam & genuinam Eccleſiæ diſciplinam ſectatur, ab hac ſi ſe avertat, Eccleſiæ perſonaliter deferendus, imo condemnandus erit.

1. Ad adulatores, pontificium ſolium circumſtantes pertinet, quod Conſilium delectorum à Paulo III. Cardinalium & Prælatorum propoſuit, de quo ſæpius iam dictum fuit.

2. Ne pro Schiſmaticis habeantur, qui his adulatoribus ſe obiiciunt, extant vetera & recentiora exempla: Eccleſiæ Aſianæ ob retentam conſuetudinem celebrandi Paſcha non fuêre Schiſmaticæ, etſi Victor P. ſuam eis communionem negaverit, vel ſi etiam ad ultimam excommunicationis ſententiam non proceſſerit. Siquidem teſte Euſebio Irenæus & alii Victoris factum *acriter* reprehenderunt.

3. Cy-

3. Cyprianum & Africanos in cauſa Baptiſmi, item Firmilianum & aliquos orientales nullus veterum *Schiſmatis* inſimulavit, tametſi à Stephano P. vel actu vel in propoſito communione romanæ Eccleſiæ privati fuerunt. Euſebius hiſtor. ecclef. Lib. 7. Cap. 5. memoranda ſunt potius Firmiliani ad Stephanum P. verba Epiſt. inter Cyprianas 75. *excidiſti te ipſum, noli te fallere. Siquidem ille eſt vere Schiſmaticus, qui ſe à communione eccleſiaſticæ unitatis Apoſtatam fecerit.*

4. Aſiani & Africani ſic à rom. Pontificibus à communione depulſi, ab aliis Eccleſiis, quantumvis contrariam opinionem tenentibus, ſe non ſeparabant, neque hæ veroſimiliter ab illis receſſerunt. Laudat Cyprianum Auguſtinus, quod unionem & communionem cum S. Sede, non obſtante deciſione Stephani P. ſervaverit. citat author Fleurii, Tillemont. & ſuum Caput VI. §. 9.

5. Si fiat ſciſſio in Eccleſia, & quæratur, utrum ea ſe teneat ex parte Papæ vel Epiſcoporum, principia & exempla Concilii

baſileenſis Eugenio oppoſita tenenda ſunt apud Harduin tom. VIII. Concil. Col. 1319. Si duo ad tempus vel complendum opus ſocietatem ineunt, aiunt Patres baſileenſes, aut à Domino mandatum accipiunt laborandi uſque ad fructuum tempus, & alter ante tempus ſocietatem dimmittat, aut à Labore recedit, quis eorum alter alterum deſerere, quis ſocietatis ſciſſor & diviſor, quis mandatis domini non optemperare dicendus eſt? Patres declarant, ſibi falſo affingi contemptum ſummi Pontificis, cum parati ſint ei adhibere reverentiam debitam, *modo à Corpore Eccleſiæ ſe non ſegreget;* ſi tamen hoc faciat, cur non S. Pauli exemplum ſequantur, qui reſtitit in faciem Cephæ, quia reprehenſibilis erat. Confer Cap. VI. §. 3. n. 5.

6. Cardinalis Caietanus in S. thom. quæſt. 39. art. 1. ait, nolle pertinaciter obedire ſummo Pontifici, non eſſe Schiſma, ſed nolle ſubeſſe ipſi ut Capiti totius Eccleſiæ, Schiſma eſt. Inobedientia enim quantumcunque pertinax non conſtituit Schiſma, niſi ſit rebellio *ad officium* Papæ vel Eccleſiæ,

ita

ita ut renuat illi ſubeſſe, illumque recognoſcere ut ſuperiorem.

7. Veneti anno 1606. cum Paulo V. diſſidentes apud Thuanum tom. 5. Lib. 137. pag. 1255. &c. viam humilitatis & demiſſionis ſpondebant, ſperantes, ut Papa melius inſtructus de rigore aliquid remittat, & cenſuras præcipiti Conſilio emiſſas re mature perpenſâ revocet, ſecus arripiendam eſſe virilem libertatem, Pontificem abuti poſſe ſua poteſtate. Sic Veneti ipſo in Bello cum Pontifice communionem & *debitam, legitimamque* obedientiam, non *exorbitantem*, qualem Papa exigebat, ſervare volebant. Gallia toties reſtitit romanorum attentatis, hæc ſicut & Senatus belgicus & Veneti plenitudinem Poteſtatis, qualem Papa prætendit, non concedunt, & tamen primam ſedem complectuntur, & colunt.

8. Ut excommunicatio liget, legitima eſſe debet, & peccatum præcedere. Hoc ſupponi non poteſt de iis, qui de reducenda ſana diſciplina & moribus *ſerio* cogitant, & media apta *debito cum moderamine* proponunt,

vel in uſum redigunt. Si Seditio fiat, Schiſma erit ex parte Curiæ. *Conſpirarunt Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Joan. 9. v. 22. hæc excommunicatio non poterat ligare credentes, etſi authoritas alias legitima erat. Goffredus Vindocienſis Lib. 3. Epiſt. 27. ait: Prælato non in omnibus, ſed quæ Deus præcipit, obediendum eſſe, exemplo Apoſtolorum, quibus dictum eſt de ſcribis & *Phariſæis, quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite.* Sed cum eis præciperetur, ne in nomine Jeſu loquerentur, dixerunt: *oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Taliter etiam Gerſon tom. 2. Conſider. 10. loquitur, non obedire excommunicationibus iniuſtis, non eſſe contemptum clavium, etſi brachium ſæculare contra has imploretur, quia non ſunt jus, ſed vis & violentia.

9. Similia expreſſerunt Veneti in cauſa ſupra memorata apud Thuanum loc. cit. pag. 1254.

10. D. Auguſtinus Lib. de ver. Relig. Cap. 4. ait, divina permittente Providentia

ſæpe-

ſæpe viros bonos de congregatione chriſtiana expelli, quam contumeliam vel iniuriam ſi pro Eccleſiæ pace patientiſſime tulerint, hos coronat in occulto Pater, in occulto videns; talia exempla plura fuiſſe ait S. Pater. Et Lib. 1. de Baptiſ. contra donatiſt. Cap. 17. ait: *ſpirituales autem ſive ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes non eunt foras: quia & cum aliqua vel perverſitate vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam ſi intus permaneant, cum adverſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida unitatis Petra fortiſſimo Charitatis robore radicantur.*

11. Cautelas in tali negotio adhibendas monuerunt Veneti l. c., excommunicationem à Juriſperito vel theologo non incurri, ſi huiusmodi ſententias non tenendas eſſe aſſerat, cavendum, ne puſillis & infirmis Scandalum præbeatur, ideo idonea inſtructione depellendam eſſe ſtultitiam, qua plures Pontificem omnigenam poteſtatem in cælo & in terra habere exiſtimant; ſi dein inſtructionem non recipiant, non dati ſed accepti

Scandali reos eſſe, ſciſſuras ſummopere vitandas eſſe.

12. Proſequitur Febronius, communi conſilio agendum eſſe, adhibita etiam maxime ſæculari poteſtate, non æſtimandos, minus quærendos ſavores romanæ Curiæ, animadvertendum in eos, qui Romam aut ad Nuntios recurrunt pro diſpenſationibus &c. impediendos Regulares ab uſu ſuorum Privilegiorum, præſertim à facultate abſolvendi Epiſcoporum diæceſanos. Sic Epiſcopi paulatim in uſum ſuæ poteſtatis reſtituerentur.

13. Nec *Sanctitati* hæ oppoſitiones præjudicium ferunt, quia Ludovicus IX. Galliæ Rex ſanctus erat, etſi ſperneret cenſurarum minas Gregorii IX., recuſare Bellum inferre Friderico II. Imp. excommunicato ad Inſtantiam Innocentii IV., nec eius depoſitionem approbare vellet. Eo tempore, quo Ludovicus vivebat, Romæ æque verum credebatur, Pontifici competere jus in temporalia Regum, ac nunc ibi perſuaſum habent, Pontificem eſſe Epiſcopum univerſalis Eccleſiæ, reliquos Epiſcopos tantum in partem ſollicitudi

tudinis ab eo vocatos; & tamen Ludovicus Rex talibus exhortationibus & minis Papæ ſibi non cedendum eſſe exiſtimavit.

14. In his modus ſervandus eſt, quem apte deſignarunt Ordines Regni gallici anno 1493. Turonibus congregati in Libello ſupplici pro Annatarum, & minutorum ſervitiorum abolitione ſub Carolo VIII.

Nota.

In utroque Foro, civili & eccleſiaſtico ſententia injuſta ferri, pænæ illegales & injuſtæ infligi, & innocentia opprimi poſſunt: hæc omnibus certa ſunt. Etiam Tribunalia civilia & politica abuſibus, exceſſibus ſæpe replentur, quandoque injuſtitias, oppreſſiones fovent. Verum ſecernat jam Febronius *Sedem à Sedente, Thronum à Principe, Curiaſiſtarum cohortem & adulatorum à Throno*: abuſus interim, injuſtitias, oppreſſiones publice & cum multo clamore divulget: *de mediis recuperandæ libertatis* à jugo injuſto cogitet, conſulat; proponat *aptam* de his *inſtructionem Populi*: Statuat *Conventum* Primorum

ſtatuum vel delectorum ab oppreſſa Natione hominum, ab influxu Curiæ & ipſius Principis omnino *liberum*: dicat *pro re nata* ibidem *decernendam ſubtractionem ab obedientia*: prædicet, non *timendam eſſe in his publicis & juſtis cauſis* Principis *iram*, *ſententias*, *pœnas*, utpote *injuſtas*: oſtendat ex Gerſone, tales ſententias *non debere dici jus*, *ſed vim & violentiam*, *lege naturali vim vi repelli poſſe*: confirmet id ipſum exemplis rebellionis atque ſeditionis, caute tamen atque ſubtiliter admoneat, Principem non eſſe abjiciendum, ſed honore ac reverentia debita complectendum, non tamen illi obediendum, ſicque eam juſtam ſubtractionem obedientiæ, non vero Seditionem aut rebellionem fore. Quid ad iſta Politici, Magiſtratus, Principes? an non his principiis atque mediis faſces è manibus ipſis eripiuntur, Poteſtas ſuprema inefficax & contempta jacet, ſubditi, Populi hoc prætextu, quæ lubent, à Principibus etiam invitis extorquere poterunt, obedientia denegatur, ſi nolit obedire ipſe Princeps.

Nec

Nec quidquam valet, quidquid contra hanc paritatem objiciat Febronius: obedientia ſummo Eccleſiæ Capiti æque ac Magiſtratibus ſæcularibus debetur, jureque divino præcipitur: tam ridicula eſt diſtinctio inter Sedem & Sedentem, quam inter Thronum & Principem, & quando adverſarius citat verba Hadriani P., ſequeretur inde, non ſolum *à Sedente*, ſed etiam *à Sede* unionem & obedientiam ſubtrahendam eſſe, quia Pontifex diſerte ait, *in hac ſancta Sede multa abominanda* fuiſſe &c. Denique ſi jure naturali contra Superiorem & Poteſtatem Eccleſiæ licet vim vi repellere ſive propria ſive aliena authoritate, cur id non liceat, & quis eodem jure contra Poteſtatem Sæcularem non potiatur?

Attamen Febronius S. Leone P. circa illam diſtinctiunculam omnino abutitur; quis neſcit, Sedem coli propter Sedentem, Thronum propter Principem, non vero hunc propter Palatium, propter Sedile? Allegoria hæc eſt, quæ ſi reſolvatur, res ad id, quod principale eſt, nempe ad Perſonam & ipſam dig-

nitatem, quæ Perſonæ adhæret, non ad materiale reducitur. S. Leo aliam cauſam habuit diſtinguendi inter Sedem & Præſidentem. Eccleſiæ alexandrinæ ſecundus poſt romanam locus debebatur, prout antiqua traditio & conſuetudo jam ferebat, atque à nicænis Canonibus confirmatum fuit. Anatholius Conſtantinopolitanus in Concilio chalcedonenſi prærogativam ſecundi loci ambiebat, exiſtimans oportunam id impetrandi occaſionem ſibi offerri, quia ut loc. cit. memorat S. Leo, ob nequitiam Dioſcori *ſecundi honoris privilegium Sedes alexandrina perdiderat.* At reſpondit S. Leo: *nihil alexandrinæ Sedi ejus, quam per S. Marcum Evangeliſtam B. Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioſcoro impietatis ſuæ pervicacia corruente ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obfuſcetur alienis; aliud enim ſunt Sedes, aliud Præſidentes.*

Clariſſime hinc patet, ſenſum eſſe, jura ac Privilegia Eccleſiarum non ita perſonalia eſſe, ut demerito Sedentis perdantur, ſed ea ſemper perſtare; ſive bonus ſive ma-

lus

lus in iis præſideat. Sic Diſcorus, etſi malus Privilegio ac dignitate gaudebat, donec à Sede depoſitus fuerat, nec eo depoſito ceſſabat, quia ejus demerito deperdi non potuit, ſicut etiam jura majeſtatica conſervantur, ſemperque manent, licet Tyrannnus in Throno ſedeat, atque ad ſucceſſores pari modo devolvuntur; unde ſequitur, Præſidentes equidem bonos vel malos, atque non ſemper ejusdem meriti eſſe poſſe, qualescunque autem ſint, jura in iisdem permanere, ideoque hoc ipſo ab obedientia legitime præſidentis, etſi malus ſit, ſe ſubtrahere non licere. Idipſum eſt, quod D. Petrus Epiſt. 1. Cap. 2. jubeat *obedire dominis non tantum bonis, ſed etiam Diſcolis.* Vides ergo textum D. Leonis ſenſum habere longe alium, imo ex eo potius erui, obedientiam legitime Sedenti, quantumvis malo, ſubtrahi non poſſe, quia verum jus per peccatum aut demeritum ejus non deperditur. Sic idem S. Leo Epiſt. 119: al. 92. ad maximum Antiochen. dixit: *etſi enim diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, jura tamen permanent Sedium.* Quod P. Couſtant Præfat. ad Epiſt. R. R. P. P. ita explicat:

eat: *jura illa, cum ſint ipſis Sedibus, non Sedentium meritis conceſſa, pro Sedentium diverſitate non mutantur*: ſic ergo & textus & ſenſus D. Leonis à mente ac ſententia Febronii prorſus alieni ſunt.

Ad 1. Adulatores & Romæ & alibi omne ſolium circumſtare, quis negat? iſtud probatione non indiget. Sed quid inde ſequitur? ergo nec Papæ, Epiſcopis, Regibus, Principibus &c. facile obediendum erit ſub prætextu, quod quivis *hiſce adulatoribus bono jure ſeſe objiciat.* Quis iſta feret?

Ad 2. 3. *&* 4. Et Aſiani in quæſtione Paſchatis, & Cyprianus cum Africanis in cauſa Baptiſmi certo errarunt: attamen illos à Victore I., hos à Stephono I. ab unitate Eccleſiæ actu abſciſſos fuiſſe, quamquam Theologi de hoc diſputant; firmiter probare non poterit Febronius. Lege in hunc finem Antonii Sandini *diſputationes hiſtoricas V. & VII. in vit. R. R. P. P.* igitur hæc exempla argumentum pro Febronio non conficiunt, quia nobis ſermo eſt de ſchismate, ubi Pontifex

tifex actu à ſua communione repellit, atque abjicit inobedientes.

Nihilominus quidquid ſit: ſi illi revera & actu ab his Pontificibus à communione Eccleſiæ abſciſſi fuiſſent, vel etiam abſciſſi ſunt, quæro, utrum Schismatici non fuiſſent, ſi poſthac diutius adhuc obedientiam detrectaſſent, atque in ſuo errore perſtitiſſent, quamquam cum aliis Eccleſiis adhuc pacem & unitatem conſervare voluiſſent? Dein à qua parte tunc Schisma ſe tenuiſſet? an ex parte Aſiaticorum & Afrorum, qui certo errabant? vel Victoris & Stephani ſummorum Pontificum, qui vera docebant? hæc igitur exempla pro reſiſtentia & ſubtractione obedientiæ in ſenſu Febronii penitus nihil probant. In errore verſari, in quo erant Aſiatici & Afri, nondum Schisma eſt: monenti & redarguenti Pontifici ſuas rationes manifeſtare, vel ut verbis adverſariorum utar, opponere, quando ſe recte ſentire adhuc exiſtimant, neque iſtud Schisma eſt, aut proprie reſiſtentia dici poteſt. At poſtquam ſummus Pontifex in cauſa

ſa deciſive ſententiam tulit; aut errantes à corpore Eccleſiæ ſeparavit; adhuc reſiſtere, atque in errore perſeverare, iſtud Schiſma eſt. Duo illa priora in allatis, exemplis nobis conſtant, ultimum non conſtat, & ideo neque Aſiaticos, neque Afros mox Schiſmatis damnare audemus attamen Febronius ultimum audacter conſulit, & pro remedio proponit, nempe ſic reſiſtendum eſſe, ut vel Pontifex ad vota reſiſtentium inclinetur, cedatque, vel ſi ſententiam ferat, illa eludatur, non timeatur, atque reſiſtentia permaneat. Jam patet, exempla Cypriani & illorum Epiſcoporum cum doctrina Febronii plane non convenire; aſt magis cum ea convenit illud donatiſtarum ſchismaticorum, de quibus S. Auguſtinus Epiſt. 87. dicit, *vobis non niſi Schismatis crimen obiicitur.* Unde hoc? eorum præcipua cauſa fidem non tangebat: quæſtio erat, quisnam fuiſſet, aut eſſet traditor ſacrorum librorum, & à traditore ordinatus Epiſcopus: hæc quæſtio potiſſimum à facto pendebat, quæ, lite ad Melchiadem Papam delatâ, ab eo primum, dein in Concilio arelatenſi deciſa fuit: cauſabantur, Papam

pam non recte iudicaſſe, quod non tota cauſa, & plene diſcuſſa fuiſſet; judicium rom. Pontificis non reſpuebant, ſed cum ipſis non favebat, etiam tunc, quando hic in pleniori Concilio ſententiam tulit, eidem obedientiam adhuc detrectabant, reſiſtebant, atque in ſua pertinacia perſiſtebant; hinc veri Schiſmatici erant. De cætero verba Firmiliani errantis & excandeſcentis contra Stephanum nihil probant. Num verum erat, quod ajebat? *excidiſti te ipſum.* Utique non Stephanus, ſed Firmilianus erravit? ſi dicas, inde ſaltem ſequi, quod Papa poſſit Schisma facere, & ſeipſum excidere. Reſpondeo, Firmilianum etiam in hoc erraſſe, ſi ejus mens fuit, quod Pontifex ut Caput Eccleſiæ, conſentientibus plurimis Epiſcopis (prout tunc ex parte Stephani ſtabant) contra reſpective paucos quæſtionem definiendo poſſit errare. Firmilianus igitur ubivis erravit, atque pronum eſt, ut qui ſemel tenaciter errorem imbibit, vel iracundiæ æſtu vel pudore abreptus ab uno errore in alium prolabatur.

Ad 5. Si ſecundum vetus adagium omnis ſimilitudo claudicat, certe Baſileenſium exempla utroque pede deſtituuntur: non ut Baſileenſes ratiocinantur, & exempla ferunt, ii ipſi opus aggrediebantur, ſed modo longe abſimili; ſi exempla ſuis geſtis conformare voluiſſent, potius ita dicere debuiſſent: ſi duo ad complendum opus ſocietatem injiſſent, vel à Domino in agrum usque ad fructuum tempus laboratum miſſi fuiſſent, & unus ſuper alterum ſe erigeret; jam non ſocium ſed ſubditum habere atque opprimere vellet, aut unus pro cultura agri à Domino ſpecialia mandata, prærogativas & directionem accepiſſet, alter vero hunc contemnere, illas ſibi uſurpare, & ſeipſum ſupra alium evehere vellet, quod Baſileenſes contra legitimum Papam egerunt; jam tunc quærito, quis primus ſit ſocietatis ſciſſor & diviſor, quis magis Domini mandatis obtemperare dicendus ſit? Baſileenſes ſemper in ſuis ratiociniis, quod ſæpius jam monſtravi, in æquivocationibus hærebant. Cæterum quæro, cur Baſileenſes tanta cura & ſtudio adlaboraverint, ut Pontifex Eugenius ſibi adhære-

tet,

ſet, & poſtquam de ejus adhæſione deſperarent, Conſilium arripuerint eum deponendi, tanquam Schismaticum abijciendi & excommunicandi? cur dein eo abjecto non Pontifex, ſed ipſi baſileenſes Schismatici habiti ſunt? profecto alia cauſa non fuit, quàm quia credebant, ſuum Concilium, decreta, ſtatuta &c. ſine rom. Pontifice nullam authoritatem & robur habitura, ideoque neceſſe eſſe, ut ipſe omni modo, ſive ratione, ſive minis, metuque ad adhærendum Concilio perſuadeatur, quòd ſi fieri non poſſit, eo relicto, alius è ſuo medio ſubſtituatur, qui Concilio adhæreat, & hujus acta rata habeat. Sic ex ipſa mente & geſtis Schismaticorum atque Concilii baſileenſis probatur neceſſitas authoritatis pontificiæ pro Concilio generali.

Ad 6. Minus Fauſte ſibi Cardinalem Cajetanum adoptavit Febronius, à quo ſuum Syſtema non juvatur, ſed damnatur. Nolle ſubeſſe ſummo Pontifici ut Capiti totius Eccleſiæ, inobedientiam *ad officium Papæ*, illumque non recognoſcere ut Superiorem, hoc Schisma vocat Cajetanus. Jam Syſtema

Febronii in hoc verſatur, ut contra Papæ prætenſiones convocetur *Concilium generale liberum, cujus deciſionibus Pontifex ſe agnoſcat ſubjectum* ſupra §. 3. Ut cogantur nationales *Synodi, ibique aptæ fiant conſtitutiones ad impediendum, ne Roma Decretis talis Concilii nationalis contravenire, eaque evertere valeant,* Epiſcopi *ordinare debent puncta Eccleſiæ convenientia relative ad Statum regni*: ſi Papa his decretis ſeſe opponeret, *extra ordinem & ad tempus de Capite nationali providendum eſſet*: laudat, ſub Carolo V. *authoritatem nominis pontificii per omnem Hiſpaniam abolitam fuiſſe*: dicit, in talibus Synodis etiam *temporaneam ſubtractionem obedientiæ ſtatuendam fore* §. 4. Aliud remedium ponit *in concordi conſtituto Principum* circa res eccleſiaſticas §. 6.

Jam peto: Si rom. Pontifici nulla authoritas in Concilio generali, cui ſubjicitur, nulla in Synodo nationali, cujus conſtitutionibus contravenire aut evertere non valet, penitus conceditur: ſi ipſi Caput nationale oponitur, à quo ejus authoritas aperte excluditur: ſi licet etiam ipſum nomen pontificium

ſtium per totam aliquam Nationem abolere: ſi eandem ab obedientia ſubtrahere: ſi jam Principes in Eccleſia negotia, lites, res diſciplinæ ſumma authoritate decidere poſſunt, quid hoc aliud eſt, quam *in his omnibus Papam non recognoſcere ut ſuperiorem*, eum nec *Caput* Concilii generalis, nec nationalis, nec etiam particularis Eccleſiæ vel Nationis eſſe, vel ſaltem tale caput abſcindi & pro libitu abjici poſſe? verum hoc in ſenſu Cajetani utique Schisma eſt.

Ad 7. 8. 9. 10. 11. Quando Febronius de poteſtate ligandi, ſolvendi, excommunicandi, deque hujus poteſtatis effectu, uſu, abuſu genuinam inſtructionem proponere voluit, ſcripturam, Concilia, Patres, traditionem proferre, non Thuanum, Gerſonem, venetos conſulere, & qualicunque exempla adducere debuiſſet: poſſunt Prælati Eccleſiæ abuti ſua poteſtate; ſed poſſunt etiam fideles & ſubditi legitimam poteſtatem & juſtam ſententiam contemnere, quod in omnibus ſchismaticis & hæreticis vidimus: poſſunt alii ſaltem falſis rationibus perſuaſi

injuſtam reputare ſententiam, uti in fautoribus Acacii, aliisque ſat multum deprehendimus, quin idcirco poteſtatem denegent, aut contemnant, quique nihilominus in unitate Ecçleſiæ perſiſtunt.

Non igitur ſolum exempla proferat Febronius: his cauſa tam parum dicitur, ac ſi talibus, quæ in omnibus ſtatibus ſæpiſſime contigere, demonſtrare vellet, & reſiſtentiam, & rebellionem ac ſeditionem contra Magiſtratus ac Principes quandoque legitimam ac licitam eſſe; ſemper enim adhuc probandum reſtat, utrum ea exempla bona, juſta, atque legitima fuerint? dein adhuc diſcrimen eſt inter *defenſionem* & *poſtulata* atque inter apertam *inobedientiam* & *reſiſtentiam*, qualem proponit Febronius. Hac diſtinctione adhibita & Gallos non ſemel excuſare debebit, & Veneti, qui ſe juſtam cauſam habere arbitrabantur, omni moderatione uſi humilitatem ac ſubmiſſionem profitebantur, ſolumque Pontificem melius informari cupiebant, imo *Pontificem manifeſte ſua abuti poteſtate* exiſtimabant, prout ipſe Febronius e:

Thu-

Thuano adducit. Haud igitur mirêris, Gallos, Venetos & alios Schismaticos non fuiſſe, quamvis ſeſe contra minas, vel etiam cenſuras romanæ Sedis defenderint.

Porro Febronii Syſtema talibus fulcimentis & regulis moderaminis neutiquam innititur; quin neque Goffredi Abbatis atque Gerſonis authoritate juvatur. Vellem ſcire, utrum ſemper legis naturalis regula, quod vim vi repellere liceat, contra legitimum Superiorem, Magiſtratum & Principem valeat, quando ſubditi durioribus legibus, tributis, ſervitiis, ſententiis nimium vel injuſte gravantur? quod ex doctrina Gerſonis ſequeretur; nam ſi per hanc regulam legitimo Superiori eccleſiaſtico reſiſtere, atque vim vi repellere licet, cur hoc contra Superiorem ſæcularem non etiam liceat? quin juxta Gerſonem non modo hoc omnino licet, ſed etiam talem Principem occidere; ſic enim in decem Conſiderationibus Principibus & dominis utilibus tom. 4. Conſiderat. 7. habet: *Si eos* (ſubditos) *manifeſte & cum obſtinatione, in injuria & de facto proſequatur Prin-*

ceps, tunc regula hæc naturalis, vim vi repellere licet, locum habet: & id Senecæ in Tragœdiis: nulla Deo gratior victima, quam Tyrannus. Quis minorum etiam Principum & Superiorum hodie iſtam doctrinam feret, & tamen ferat Superior & Caput totius Eccleſiæ? quam etiam Febronius contra eundem ex Gerſone adoptat. Dices: & Venetos in ſupra allegata cauſa hac regula ſe tueri: ita quidem Thuanus; ſed viderint ipſi, ſi eandem contra quemvis legitimum Superiorem valere velint.

Quod Goffredus Abbas ait, Prælati qualescunque utique contra mandata Dei nihil præcipere poſſunt; ſed oſtendat Febronius ſuam doctrinam, ſuas opiniones & Conſilia ſeu remedia, quæ proponit, *præcepta divina eſſe.* Ipſe utique fidenter ait: *neque in his publicis & juſtis cauſis romana excommunicatio metuenda eſt. Hæc ut liget, legitima eſſe debet. Scimus, omnem excommunicationem, niſi grave præcedat peccatum, nullam eſſe; hoc autem ſupponi nec poteſt, nec debet in iis, qui de reducenda ſana diſciplina & moribus juſtitute*

Chri-

Chriſti conformibus ſerio cogitant. At vero quodnam eſt Tribunal legitimum & ſupremum, quod has cauſas *juſtas*, & quæ ille proponit, *mandata divina* eſſe decidit? conferat noſtra & aliorum argumenta, & videbit, ſe tanquam de re jam evicta ac demonſtrata in vanum triumphare; ſiquidem omnes hactenus adductas cauſas nec juſtas, ut plurimum nec ſubſiſtentes, nec legitimas eſſe, luculenter probavimus. Si quæ adhuc gravant, vereque ſubſiſtunt, honeſtis atque licitis modis per Concordata, Poſtulata, recurſus tolli poſſunt, ita tamen, ut legitimæ Poteſtati nullum præjudicium inferatur.

Exiſtit Lex naturalis,[1] divina, eccleſiaſtica, quæ manus in Superiorem & legitimam Poteſtatem immittere vetat: viget præceptum, quod ſubjectionem ad Poteſtatis ſublimiores injungit, etiam Dominis diſcolis & durioribus obedire mandatur: jam vero Febronius talia remedia proponit, quibus legitimo Superiori obedientia, ſubjectio ſubtrahitur, ipſa legitima poteſtas invaditur, contemnitur, & etiam hujus nomen abolere li-

cet, & tamen audet dicere, *nullum peccatum poſſe aut debere ſupponi in iis*, qui ita cogitant, vel impia hæc Conſilia executioni dant. *De ſana diſciplina* reſtauranda, ad quos pertinet, *ſerio* cogitare bonum eſt. Verum quæ Febronius cogitat, non omnia vera, nec ſana ſunt; remedia autem, quæ conſulit, omnino ſeditioſa ac peſſima ſunt, quæ poteſtatem Eccleſiæ, & ipſam Eccleſiam tandem evertunt.

Aliud in tali caſu monitum ſuggerit D. Auguſtinus é diametro contrarium, hunc allegat Febronius, ſed non ſequitur, neque illud pro remedio proponit. Ait S. Pater loco à Febronio citato, ſæpe bonos viros de congregatione chriſtiana injuſte expelli, hos laudat, *ſi hanc contumeliam vel injuriam patientiſſime tulerint, neque ullas novitates vel ſchismatis vel hæreſis moliti fuerint, tales habere propoſitum remeandi, aut ſi non ſinantur, conſulendi & teſtimonio juvandi* fidem catholicam, *ſine ulla conventiculorum ſegregatione*. Iterum altero loco: *tales non eunt foras*, -- -- -- *cum adverſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in*

ſolida

ſolida unitatis Petra fortiſſimo Charitatis robore radicantur.

En! quantum à S. Auguſtino diſtet Febronius; hic ait, non metuenda aut attendenda excommunicationum fulmina, novitates Schiſmatis moliri, & adverſus Eccleſiam erigi conſulit per reſiſtentiam & inobedientiam: ſuadet Conventus nationales, Principum, ut ſibi Caput ad tempus eligant, id eſt, Schiſma, uti videtur, ad tempus faciant, & à ſolida unitatis Petra ſe avertant. Neque dicas, unitatem nihilominus teneri adhuc poſſe: profecto chimæricum eſt, ſibi aliud Caput conſtituere, legitimo Capiti reſiſtere, ei non obedire, contemnere, abiicere, & tamen cum eo unitum eſſe.

D. Auguſtino in hoc puncto adſtipulatur alius S. Pater divus Gregorius M. in Evangel. Luc. Cap. 11. homil. 26. n. 6. *utrum iuſte, an iniuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is, qui ſubeſt, & cum iniuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete timeat, vel*

 liga-

ligare. Is autem, qui, ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel iniuſte: nec Paſtoris ſui judicium temere reprehendat: ne & ſi iniuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Febronius, qui ubivis ſe traditionem & Patres ſequi ſpondet, hanc Patrum doctrinam, non novam illam recentibus duntaxat & illegalibus exemplis ſuffultam proponere debuiſſet. Dicet fors cum Venetis, D. Gregorii locum egere interpretatione; at neſcio, quali? niſi forſitan eâ, quam ipſi ponunt: nempe ſi Præſul *manifeſte* ſua abutitur poteſtate; ſed hoc Febronius nullatenus adhuc demonſtravit; teneat ergo doctrina Patrum contra erronea & impia Conſilia Febronii.

Ad 12. 13. & 14. Quorſum amplius Febronii conſilia tendant, non video, niſi ut fors omnia ea adminicula, quibus nexus & communio cum Capite Eccleſiæ ſuſtineri poſſent, penitus abripiantur, quivis Epiſcopus in propria cauſa Judex & executor ea ad ſe trahat, quæcunque Febronius ipſi adiudicandum eſſe exiſtimaverit. Ludovicus IX.

 Rex

Rex Galliæ *ſanctus* nunquam à rom. Pontifice fulmine excommunicationis percuſſus fuit, nec etiam fulmina romana ſprevit. Aliud eſt *contemnere*, aliud iuſtas & rationabiles cauſas proponere, ob quas votis Papæ obſecundari non facile valet: hoc fecit S. Ludovicus, non illud, nec amplius ex genuinis & veris hiſtoricis probari poterit.

Ait, ſimiles oppoſitiones *ſanctitati* nullum præiudicium ferre. Sed etiam ſancti quandoque ſuos nævos habuerunt, nec omni ſemper culpa caruerunt; attamen eluerunt, reſipuerunt, & tunc poſt pænitentiam ſanctitati amplius officere non poterant. SS. Cyprianus & Firmilianus Stephano P. reſtiterunt; certe S. Auguſtinus, alias Cypriani laudator & defenſor eos ob hoc factum nullibi excuſare audet. Quid iam ſi Sthephanus illos per excommunicationem ab Eccleſia actu ſeparaſſet? An eorum reſiſtentia, & fulmen romanum eorum ſanctitati nullum præiudicium tuliſſet? in tali ſtatu ſalvari poſſe, nec ipſe credidit Cyprianus, qui interrogans dixerat Epiſt. ad Cornel. P., *qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in*

Eccle-

Febronii in hoc verſatur, ut contra Papæ prætenſiones convocetur *Concilium generale liberum, cujus deciſionibus Pontifex ſe agnoſcat ſubjectum* ſupra §. 3. Ut cogantur nationales *Synodi, ibique aptæ fiant conſtitutiones ad impediendum, ne Roma Decretis talis Concilii nationalis contravenire, eaque evertere valeant,* Epiſcopi *ordinare debent puncta Eccleſiæ convenientia relative ad Statum regni*: ſi Papa his decretis ſeſe opponeret, *extra ordinem & ad tempus de Capite nationali providendum eſſet*: laudat, ſub Carolo V. *authoritatem nominis pontificii per omnem Hiſpaniam abolitam fuiſſe*: dicit, in talibus Synodis etiam *temporaneam ſubtractionem obedientiæ ſtatuendam fore* §. 4. Aliud remedium ponit *in concordi conſtituto Principum* circa res eccleſiaſticas §. 6.

Jam peto: Si rom. Pontifici nulla authoritas in Concilio generali, cui ſubjicitur, nulla in Synodo nationali, cujus conſtitutionibus contravenire aut evertere non valet, penitus conceditur: ſi ipſi Caput nationale oponitur, à quo ejus authoritas aperte excluditur: ſi licet etiam ipſum nomen ponti-

ficium

ſtitum per totam aliquam Nationem abolere: ſi eandem ab obedientia ſubtrahere: ſi jam Principes in Eccleſia negotia, lites, res diſciplinæ ſumma authoritate decidere poſſunt, quid hoc aliud eſt, quam *in his omnibus Papam non recognoſcere ut ſuperiorem*, eum nec *Caput* Concilii generalis, nec nationalis, nec etiam particularis Eccleſiæ vel Nationis eſſe, vel ſaltem tale caput abſcindi & pro libitu abjici poſſe? verum hoc in ſenſu Cajetani utique Schisma eſt.

Ad 7. 8. 9. 10. 11. Quando Febronius de poteſtate ligandi, ſolvendi, excommunicandi; deque hujus poteſtatis effectu, uſu, abuſu genuinam inſtructionem proponere voluit, ſcripturam, Concilia, Patres, traditionem proferre, non Thuanum, Gerſonem, venetos conſulere, & qualicunque exempla adducere debuiſſet: poſſunt Prælati Eccleſiæ abuti ſua poteſtate; ſed poſſunt etiam fideles & ſubditi legitimam poteſtatem & juſtam ſententiam contemnere, quod in omnibus ſchismaticis & hæreticis vidimus: poſſunt alii ſaltem falſis rationibus perſuaſi

 inju-

injuſtam reputare ſententiam, uti in fautoribus Acacii, aliisque ſat multum deprehendimus, quin idcirco poteſtatem denegent, aut contemnant, quique nihilominus in unitate Eccleſiæ perſiſtunt.

Non igitur ſolum exempla proferat Febronius: his cauſa tam parum dicitur, ac ſi talibus, quæ in omnibus ſtatibus ſæpiſſime contigere, demonſtrare vellet, & reſiſtentiam, & rebellionem ac ſeditionem contra Magiſtratus ac Principes quandoque legitimam ac licitam eſſe; ſemper enim adhuc probandum reſtat, utrum ea exempla bona, juſta, atque legitima fuerint? dein adhuc diſcrimen eſt inter *defenſionem* & *poſtulata* atque inter apertam *inobedientiam* & *reſiſtentiam*, qualem proponit Febronius. Hac diſtinctione adhibita & Gallos non ſemel excuſare debebit, & Veneti, qui ſe juſtam cauſam habere arbitrabantur, omni moderatione uſi humilitatem ac ſubmiſſionem profitebantur, ſolumque Pontificem melius informari cupiebant, imo *Pontificem manifeſte ſua abuti poteſtate* exiſtimabant, prout ipſe Febronius ex

Thu-

Thuano adducit. Haud igitur mirêris, Gallos, Venetos & alios Schismaticos non fuiſſe, quamvis ſeſe contra minas, vel etiam cenſuras romanæ Sedis defenderint.

Porro Febronii Syſtema talibus fulcimentis & regulis moderaminis neutiquam innititur; quin neque Goffredi Abbatis atque Gerſonis authoritate juvatur. Vellem ſcire, utrum ſemper legis naturalis regula, quod vim vi repellere liceat, contra legitimum Superiorem, Magiſtratum & Principem valeat, quando ſubditi durioribus legibus, tributis, ſervitiis, ſententiis nimium vel injuſte gravantur? quod ex doctrina Gerſonis ſequeretur; nam ſi per hanc regulam legitimo Superiori eccleſiaſtico reſiſtere, atque vim vi repellere licet, cur hoc contra Superiorem ſæcularem non etiam liceat? quin juxta Gerſonem non modo hoc omnino licet, sed etiam talem Principem occidere; ſic enim in decem Conſiderationibus Principibus & dominis utilibus tom. 4. Conſiderat. 7. habet: *Si eos* (ſubditos) *manifeſte & cum obſtinatione, in injuria & de facto proſequatur Principe*

 cepe

ceps, tunc regula hæc naturalis, vim vi repellere licet, locum habet; & id Senecæ in Tragœdiis: nulla Deo gratior victima, quam Tyrannus. Quis minorum etiam Principum & Superiorum hodie iſtam doctrinam feret, & tamen ferat Superior & Caput totius Eccleſiæ? quam etiam Febronius contra eundem ex Gerſone adoptat. Dices: & Venetos in ſupra allegata cauſa hac regula ſe tueri: ita quidem Thuanus; ſed viderint ipſi, ſi eandem contra quemvis legitimum Superiorem valere velint.

Quod Goffredus Abbas ait, Prælati qualescunque utique contra mandata Dei nihil præcipere poſſunt; ſed oſtendat Febronius ſuam doctrinam, ſuas opiniones & Conſilia ſeu remedia, quæ proponit, *præcepta divina eſſe.* Ipſe utique fidenter ait: *neque in his publicis & juſtis cauſis romana excommunicatio metuenda eſt. Hæc ut liget, legitima eſſe debet. Scimus, omnem excommunicationem, niſi grave præcedat peccatum, nullam eſſe; hoc autem ſupponi nec poteſt, nec debet in iis, qui de reducenda ſana diſciplina & moribus juſtituto*

Chri-

Chriſti conformibus ſerio cogitant. At vero quodnam eſt Tribunal legitimum & ſupremum, quod has cauſas *juſtas*, & quæ ille proponit, *mandata divina* eſſe decidit? conferat noſtra & aliorum argumenta, & videbit, ſe tanquam de re jam evicta ac demonſtrata in vanum triumphare; ſiquidem omnes hactenus adductas cauſas nec juſtas, ut plurimum nec ſubſiſtentes, nec legitimas eſſe, luculenter probavimus. Si quæ adhuc gravant, vereque ſubſiſtunt, honeſtis atque licitis modis per Concordata, Poſtulata, recurſus tolli poſſunt, ita tamen, ut legitimæ Poteſtati nullum præjudicium inferatur.

Exiſtit Lex naturalis, divina, eccleſiaſtica, quæ manus in Superiorem & legitimam Poteſtatem immittere vetat: viget præceptum, quod ſubjectionem ad Poteſtatis ſubliiores injungit, etiam Dominis diſcolis & durioribus obedire mandatur: jam vero Febronius talia remedia proponit, quibus legitimo Superiori obedientia, ſubjectio ſubtrahitur, ipſa legitima poteſtas invaditur, contemnitur, & etiam hujus nomen abolere li-

 cet;

cet, & tamen audet dicere, *nullum peccatum poſſe aut debere ſupponi in iis*, qui ita cogitant, vel impia hæc Conſilia executioni dant. *De ſana diſciplina* reſtauranda, ad quos pertinet, *ſerio* cogitare bonum eſt. Verum quæ Febronius cogitat, non omnia vera, nec ſana ſunt; remedia autem, quæ conſulit, omnino ſeditioſa ac peſſima ſunt, quæ poteſtatem Eccleſiæ, & ipſam Eccleſiam tandem evertunt.

Aliud in tali caſu monitum ſuggerit D. Auguſtinus é diametro contrarium, hunc allegat Febronius, ſed non ſequitur, neque illud pro remedio proponit. Ait S. Pater loco à Febronio citato, ſæpe bonos viros de congregatione chriſtiana injuſte expelli, hos laudat, *ſi hanc contumeliam vel injuriam patientiſſime tulerint, neque ullas novitates vel ſchismatis vel hæreſis moliti fuerint, tales habere propoſitum remeandi, aut ſi non ſinantur, conſulendi & teſtimonio juvandi* fidem catholicam, *ſine ulla conventiculorum ſegregatione.* Iterum altero loco: *tales non eunt foras, -- -- -- cum adverſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida*

ſolida unitatis Petra fortiſſima Charitatis robore radicantur.

En! quantum à S. Auguſtino diſtet Febronius; hic ait, non metuenda aut attendenda excommunicationum fulmina, novitates Schiſmatis moliri, & adverſus Eccleſiam erigi conſulit per reſiſtentiam & inobedientiam: ſuadet Conventus nationales, Principum', ut ſibi Caput ad tempus eligant, id eſt, Schiſma, uti videtur, ad tempus faciant, & à ſolida unitatis Petra ſe avertant. Neque dicas, unitatem nihilominus teneri adhuc poſſe: profecto chimæricum eſt, ſibi aliud Caput conſtituere, legitimo Capiti reſiſtere, ei non obedire, contemnere, abiicere, & tamen cum eo unitum eſſe.

D. Auguſtino in hoc puncto adſtipulatur alius S. Pater divus Gregorius M. in Evangel. Luc. Cap. 11. homil. 26. n. 6. *utrum iuſte, an iniuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is, qui ſubeſt, & cum iniuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete timeat, vel*

ligare. Is autem, qui, ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel iniuſte: nec Paſtoris ſui judicium temere reprehendat: ne & ſi iniuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Febronius, qui ubivis ſe traditionem & Patres ſequi ſpondet, hanc Patrum doctrinam, non novam illam recentibus duntaxat & illegalibus exemplis ſuffultam proponere debuiſſet. Dicet fors cum Venetis, D. Gregorii locum egere interpretatione; at neſcio, quali? niſi forſitan eâ, quam ipſi ponunt: nempe ſi Præſul *manifeſte* ſua abutitur poteſtate; ſed hoc Febronius nullatenus adhuc demonſtravit; teneat ergo doctrina Patrum contra erronea & impia Conſilia Febronii.

Ad 12. 13. & 14. Quorſum amplius Febronii conſilia tendant, non video, niſi ut fors omnia ea adminicula, quibus nexus & communio cum Capite Eccleſiæ ſuſtineri poſſent, penitus abripiantur, quivis Epiſcopus in propria cauſa Judex & executor ea ad ſe trahat, quæcunque Febronius ipſi adiudicandum eſſe exiſtimaverit. Ludovicus IX.

Rex

Rex Galliæ *ſanctus* nunquam à rom. Pontifice fulmine excommunicationis percuſſus fuit, nec etiam fulmina romana ſprevit. Aliud eſt *contemnere*, aliud iuſtas & rationabiles cauſas proponere, ob quas votis Papæ obſecundari non facile valet: hoc fecit S. Ludovicus, non illud, nec amplius ex genuinis & veris hiſtoricis probari poterit.

Ait, ſimiles oppoſitiones *ſanctitati* nullum præiudicium ferre. Sed etiam ſancti quandoque ſuos nævos habuerunt, nec omni ſemper culpa caruerunt; attamen eluerunt, reſipuerunt, & tunc poſt pænitentiam ſanctitati amplius officere non poterant. SS. Cyprianus & Firmilianus Stephano P. reſtiterunt; certe S. Auguſtinus, alias Cypriani laudator & defenſor eos ob hoc factum nullibi excuſare audet. Quid iam ſi Sthephanus illos per excommunicationem ab Eccleſia actu ſeparaſſet? An eorum reſiſtentia, & fulmen romanum eorum ſanctitati nullum præiudicium tuliſſet? in tali ſtatu ſalvari poſſe, nec ipſe credidit Cyprianus, qui interrogans dixerat Epiſt. ad Cornel. P., *qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in*

Eccle-

Eccleſia ſe eſſe confidit? & tamen reſiſtentia ac oppoſitiones SS. Cypriani & Firmiliani nequaquam adhuc tales fuerant, quales proponit Febronius, minus romana fulmina contemnenda eſſe putaverunt.

Tandem ipſe Author in ſimilibus negotiis proponit modum, quem Ordines Regni gallici anno 1493. Turonibus congregati in Libello ſupplici *pro annatarum & minutorum ſervitiorum abolitione* Carolo VIII. oblato deſignârunt, tenueruntque; ſic autem ſonat: *conteſtantur nihilominus dictorum trium Ordinum viri, ſe nolle ab obedientia filiali ſanctiſſimi Patris noſtri diſcedere, quem ut filii Eccleſiæ agnoſcere volunt ceu vicarium univerſalem ſalvatoris & redemptoris Jeſu Chriſti, qui eſt Caput Eccleſiæ. Quia vero non repugnat, ut filius, ſi ſe à Patre gravatum ſenſerit, cum timore & reverentia conqueratur apud alterum, qui Patrem admoneat: dictorum trium Ordinum viri, qui ſe à ſuo Domino & Patre ſpirituali plurimum gravatos ſentiunt, quærimoniam ſuam deferunt ad Regem, ſupremum noſtrum in temporalibns Patrem, Protectorem & defenſorem contra omnes,*

qui

qui ipſis moleſti eſſe vellent in eorum juribus & libertatibus contra & in detrimentum ſanctorum decretorum & Conciliorum. Et ideo ſupplicant Regi ſupremo noſtro Domino, & filio Eccleſiæ, ut dignetur per ſuos Oratores obedientiam exhibere filialem dicto ſanctiſſimo Patri, iubere, ut ipſi Regni egeſtas exponatur, & magna ſignificentur impedimenta, quæ ab obitu Caroli VII. Regis Juribus & libertatibus dictarum Eccleſiarum Franciæ & Delphinatus oppoſita ſunt à nonnullis, qui reſervationes & Proviſiones in fraudem iuris electionum obtinuerunt: ut Penſiones omnes & Commendas beneficiorum ſæcularium & regularium in irritum mitti curet, & ipſi exponere, quanta pecuniæ vis ex hoc Regno elata ſit: nec ægre ferat, ſi dictum Regnum *& Delphinatus ſuis in poſterum juribus & libertatibus ſecundum ſua decreta utatur.*

Hic modus, quis neget? utique aptus, iuſtus, atque conveniens eſt, filialis nempe recurſus per Principes. Quare autem Febronius hunc modum pro remedio apto non propoſuit? quantum hic abſimilis eſt ab illis modis, quos ſuggerit Febronius! nihil hic de ſub-

ſubiectione Papæ ad Concilium, de Concilio nationali & decreto Principium contra Papam, de reſiſtentia & ſubtractione obedientiæ à Papæ, de alio Capite ſubſtituendo, de retentione Bullarum & Brevium, de appellatione ab abuſu: ſed ſolum filialis obedientia, obſequium, iuſta informatio ſine minis, violentia, ſine contemptu, ſine tumultu ſuadetur.

Quæres: quid vero agendum ſit, ſi Papa tam modeſte interpellatus non acquieſcat, nec gravamina tollat? Reſpondeo: ſi in hac re nulla veterum exempla nulla doctrina ſuppeterent, nihilominus inexcuſabilis foret Febronius, cuius remedia propoſita omni juri & æquitati repugnant, quia nunquam legitimam poteſtatem abiicere, & contra eam rebellare licet. Attamen pro hac cauſa non deſunt veterum teſtimonia atque documenta: S. Avitus Viennenſis in cauſa Symmachi P. Epiſt. 2. ad Senator. *Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur, quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens cauſam, quam*

pene

pene temere ſuſceperat inquirendam, divino potius reſervavit judicio. Ennodius Ticinenſis in eadem cauſa: *aliorum forte hominum cauſas Deus voluit per homines terminare: Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Jvo Carnot. Epiſt. 159. ad Paſchalem II. *ſi aliquando ſe prægravatos ex ipſius Eccleſiæ Authoritate conqueruntur, hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilum, ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expetant Levamen, unde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen. Quoniam quæ aliquando corripit paterna ſeveritate, eadem frequenter colligit materna pietate.* Et Epiſt. 67. ad Urbanum II. *non eſt meum adverſum vos intrare in judicium; malo enim Epiſcopatui renuntiare, quam iram veſtram iuſte vel iniuſte ſuſtinere.* Similia habet D. Bernardus, adde Concilium triburienſe Can. 30. Tandem cum Photius contra romanos Pontifices varias querelas obiecit, atque in numeroſo Concilio Nicolaum I. P. anathemathe percuſſit, Concilium generale VIII. Can. 21. pronuntiavit: *ne* etiam NB. *Synodus univerſalis ſententiam audacter dicat contra romanorum Pontificem*, atque Anathema quo-

que

que ibi dicitur Magnatibus, & Principibus Sæculi, qui Patriarchis, & præprimis rom. Pontifici debitam reverentiam ac honorem violaverint. En modum! quem tenebant, docebantque veteres, & ipſa quoque Concilia: nullibi Epiſcopis, Synodo particulari, Nationi, Principibus Sæculi ſe ſupra Papam efferri, ſibi in propria cauſa ſententiam dicere, iudicare, obedientiam ſubtrahere; ſibi aliud Caput conſtituere, vi reſiſtere permittitur. Attamen poſtquam Febronius rom. Pontificem Poteſtate ac Primatu Jurisdictionis penitus exuit, tales ſequelæ ſua ſponte fluebant, quamquam hæc veteri Doctrinæ, Traditioni Eccleſiæ, honeſtati & omni juri palam adverſantur.

§ VIII.

§. VIII.

Quintum remedium retentio Bullarum apoſtolicarum, cuius juſtitia & univerſalis uſus demonſtratur.

Exponuntur ſingulares effectus falſarum decretalium, qui populos egregie gravant, & Principum attentionem præ cæteris excitare poſſunt ac debent.

Promptius remedium deprehenditur in *Placeto regio*, cuius legitimus uſus, ut ſine eo nullum reſcriptum, decretum, Mandatum, Conſtitutio, Bulla, Breve, aut quæcunque litteræ romanæ executioni tradi valeant, receptus eſt in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Sabaudia, Regnis Neapolis & Siciliæ, Belgio, certo modo in Germania, olim in Anglia, dum eſſet Catholica, vigore famoſæ legis *præmunire*. Hoc jus Jure Majeſtatico eſſentialiter inhæret; cum Principibus cura & conſervatio publicæ tranquillitatis ſine perſonarum & cauſarum diſcrimine incumbat, iique authoritatem habeant ſuper actiones externas, etiam Eccleſiaſticas, quatenus inde Reipublicæ incommoda, aut per-

turbationes evenire poſſunt; hinc ad eorum officium pertinet, inquirere in omnia, quæ aliunde in ſuas terras invehuntur, & diſpicere, ne quid contra publica commoda invehatur, aut executioni mandetur. Citat Author Salgado *Tract. de Supplicat. ad Sanctiſſimum Part.* 1. *Cap.* 9. *num.* 13. Addit dein, hoc jus etiam ibi, ubi hactenus non obtinuit, adoptari poſſe, à Principe abdicari non poſſe, uti Status Regni Luſitaniæ anno 1486. ſub Joanne II. Rege demonſtrarunt, in quibus caſibus valeat, & cui fundamento innitatur, nempe *præjudicio reipublicæ & damno publicæ utilitatis*, petitionem retentionis Bullarum ad Fiſcum pertinere, eidem tanquam diſpoſitioni Juris publici communis à partibus renuntiari non poſſe cit. Barthel annot. ad Jus Can. L. 1. tit. 2. §. 4. q. 3.

1. Curialiſtæ romani intendunt deprimere Eccleſias, meliorem partem authoritatis aufferre, & ſibi attribuere. Sancta Sedes eſt centrum unitatis, Curia romana occaſio Schismatis, impedimentum reunionis hæreticorum cum Eccleſia, & converſionis infi-

infidelium. Quanta Scandala! ex cauſa hujus *Scandali* Pontificiæ Bullæ retineri poſſe, certum eſt, quia in omni Scandalo verſatur detrimentum publicum & præjudicium boni communis. Citat author iterum Salgado.

2. Imperator, Reges, Principes ex officio & declarante Tridentino Seſs. 25. Cap. 20. de reform. Jure divino ſunt nati defenſores & protectores *Eccleſiæ*, *Conciliorum* & *Canonum verorum* non *ſpuriorum*. Hanc tuitionem ſæpius ipſi ſummi Pontifices petierunt; ideo literæ apoſtolicæ ab illis ob quascunque cauſas Canonibus &Conciliis adverſas retineri poſſunt, & hoc omnino propter quamlibet cauſam violentiæ, quæ contra legem publicam committi cenſetur, exerceri debet. Iterum Salgado, Parexa & Hyeronimus de Cavallos.

3. Lamentabile foret, ſi tantus labor & ſtudium inſomne Conciliorum generalium fructum ex incuria & negligentia ammitterent in damnum reipublicæ eccleſiaſticæ & chriſtianæ Religionis. Sic autem fit: jacent poſt Iſidorum tot ſancti Canones Conciliorum generalium, qui debentur ſollicitudine maxi-

morum Imperatorum. Parum abeſt, ut intereat infinitus labor Sigismundi Imp. & Nationis gallicæ, & aliqui Principes ineptiſſimas Emanuelis Schelſtrate fabulas contra diſpoſitiones Seſſ. IV. & V. Concilii conſtant. triumphare ſinant.

4. Pius IV, in Bulla Confirmationis Conciliii Tridentini invitavit Chriſtianos Principes ad protectionem, obſervantiam; & executionem ejusdem Concilii. Salgado ait, inde naſci Regibus facultatem condendæ legis in hujus manutenentiam: hac de cauſa in Hiſpania non permittitur executioni dari litteras apoſtolicas iisdem Canonibus non conformes. Econtra in aliis Regnis ſine ulla cauſa & neceſſitate hoc permittitur. Sic prohibet Tridentinum, in ſecundo gradu diſpenſare, niſi inter magnos Principes & ob publicam cauſam: hoc Roma non ſervat; diſpenſat cum plebeis in ſecundo gradu *ordinarie* ex cauſis privatis, & cum Scandalo popularium. Cardinalis le Camus omnes diſpenſationes & Indulgentias ſine cauſa conceſſas retinuiſſe legitur. Quis hoc improbet?

5. Bar-

5. Barthel cit. loc. tit. 33. ait, Epiſcopos Italiæ omnes Bullas indiſtincte recipere, & executioni mandare debere: Germani, quibus in multis jure poſtliminii reddita eſt primæva Jurisdictio, non cæcâ obedientiâ, ſed rationabili obſequio in materiis extra fidem & mores, præcipue contra Tridentinum & Concordata, Bullas non ita paſſim recipiunt publicantque; ſed in his caſibus Gallos imitari oportet, qui magna cum cautela & reverentia agunt cum Pontifice.

6. Quædam ſingularia Magnatum attentionem præ cæteris merentur. Huc pertinent *reſervationum cauſarum Epiſcopalium* factæ rom. Pontifici in vim ſpuriam Decretalium: nihil magis favet impunitati criminum; tam facile eſt fallere Judicem in longinquo poſitum, quam difficile invenire accuſatores & teſtes. Raro Epiſcopis Romam citatis deerunt cauſæ non eundi, & ſi ire compellantur, Populi ſine inſtructione linquuntur, ceſſant functiones Epiſcopales, ſæpe gliſcent errores & corruptelæ.

7. Appellationes ſive Civiles, ſive criminales ad Curiam romanam in cauſis privatorum æque noxiæ ſunt: tædio ſumptuum, dilationum &c. Epiſcopi malunt tolerare vitia; promptæ adminiſtrationi juſtitiæ peræque obſtat diſtantia locorum, difficultas probationum, ignorantia moris patrii, ut de expenſis, itineribus, aliis moleſtiis harum appellationum nihil dicatur. In Hiſpania cenſetur ei violentia inferri, qui extra Regnum & ad Aulam romanam vocatus litigare cogitur: quare non eadem alibi ſubdits impenditur protectio?

8. Principibus indifferens eſſe non poteſt, quod tam enormes pecuniarum ſummæ annue Romam exportentur pro expeditionibus Bullarum, Annatis, confirmationibus, Palliis &c., cum his omnibus non indigeamus.

9. Reges Epiſcopis tanquam primariis ſubditis & Vaſallis ſuam protectionem debent, & hi ſicut & cæteri Prælati hanc petere poſſunt pro recuperatione ſuorum jurium contra ima-

gina-

ginarium jus Monarchicum & prætenſam plenitudinem poteſtatis.

10. Author contra Regulares invehitur, qui romanam Authoritatem promovent, ſuſtinent, pro illa adverſus Epiſcopos, Reges, Principes ſtant: his Roma tanquam militaribus copiis utitur. Famoſa Liga gallica, cujus finis erat, Henricum IV. è ſolio deturbare, Monachis debet ſuos ſucceſſus. Monachis debetur, ſi non origo, ſaltem ſubſiſtentia opinionum de indefinita Monarchia, Poteſtate, infallibilitate Pontificis, eo æſtu, ut fere in Dogmata erigantur.

11. Citat Cardinalem de Cuſa, qui ait, Imperatorem cum Concilio ſibi ſubjecto nihil præter poteſtatem & authoritatem attentatorum fore, ſi ſublatis Privilegiis, exemptionibus, collationibus, ſanctis Canonibus obediendum eſſe decerneret.

12. 13. Author per longum adducit Edictum Regium Coroli III. Hiſpaniarum Regis circa uſum placiti regii, atque etiam quoad Brevia de prohibitione librorum.

Nota.

Febronius iterum ad probandam ſuam Theſin de placito Regio, Traditionis, veterum Canonum, SS. Patrum oblitus fuit: ſiccine promiſſis fere nunquam ſtat; ſed ſtare non poterit, quia hoc, ut vocant, jus in antiquitate locum non habuit.

Ut *de placeto Regio* genuina idea formari poſſit, de hujus origine, cauſâ, fine, objecto, uſu, abuſu dicendum foret. Principibus ſua jura non negamus, imo illæſa & ſacra eſſe volumus, ſed non minus ingens adulatorum turba eſt, qui illa quandoque ultra juſtos limites, atque in præjudicium Poteſtatis Eccleſiæ extendunt.

Novimus, uſum *Placeti Regii*: *exequatur*, *ſupplicationis ad ſanctiſſimum*, vel quocunque nomine appelletur, in plerisque Regnis & Provinciis in occidente receptum eſſe. Aſt ubi incepit? quando initium ſumpſit? in Regno galliæ talem ordinationem factam fuiſſe legimus anno 1475. à Ludovico XI. fors alibi prius, alibi vero ut plurimum poſterius;

certe

certe ante Iſidori Decretales non extitit, ut adeo inter recentioris ævi Statuta & praxin collocari debeat; & ſi res ad antiquum Statum reducendæ eſſent; etiam hic uſus ceſſare deberet reſpective ad veterem Eccleſiæ diſciplinam.

Febronius dicit, eſſe partem Juris Majeſtatici, cui eſſentialiter inhæret: ſed hoc jus, quatenus ſe extendit ad leges Eccleſiaſticas, & poteſtatem ſacram (de qua ſola hic nobis ſermo eſt) non exercuerunt Imperatores & Principes Ethnici, Hærethici, Catholici ad ultima usque tria Sæcula, & tamen quis dicet, eos omnes ſua jura eſſentialia in tantum ignoraſſe, aut tam vecordes fuiſſe, ut iis nunquam uterentur? Petrus, Paulus, Apoſtoli omnes, Succeſſores ſummi Pontifices etiam in materia diſciplinæ leges, mandata, reſcripta dabant ad fideles, Epiſcopos, ut ab his promulgarentur, & executioni traderentur, non petito unquam, aut exſpectato *Placeto Regio*, quin potius Magiſtratus & Principes Catholicos tanquam Eccleſiæ filios his ſubjacere volebant, quan-

doque vero ſuas leges diſciplinæ & religionis in notitiam Magiſtratuum Ethnicorum nequidem pervenire permittebant, uti patet ex diſciplina arcani, quamvis apud eos non raro in gravem atque ſiniſtram ſuſpicionem idcirco incurrerent. At peſſime egiſſent primi ſanctiſſimi Eccleſiæ Rectores & Antiſtites, ſi Juri majeſtatico eſſentiali derogaſſent, nec Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, reddidiſſent, ſed potius contra præceptum divinum denegaſſent.

Non negamus, ſed pro certo tenemus, quod ad Jura majeſtatica, & officium tuendi rempublicam pertineat, curare, ne quidquam in eandem invehatur, quod in publica commoda impingere, pacem religionis & Eccleſiæ in aliquo Regno ſtabilitæ, & reipublicæ tranquillitatem turbare, ſtatui vel per leges publicas, vel per amicabiles Concordias rite firmato præjudicium adferre, aut etiam Juribus Imperatoris, Regis ac Vaſallorum Privilegiis nocere, aut opprimere poſſit.

Equi-

Equidem hoc principium univerſale eſt; ſed jam quæritur: utrum iſtud etiam valeat contra Poteſtatem eccleſiaſticam, litteras, ordinationes Pontificias & Epiſcopales? quæſtionis deciſio potiſſimum ab eo dependet, an Poteſtas Eccleſiæ ſit in ſuo genere ſuprema & independes? de ſe non præſumitur, quod Religio & Eccleſia vera Poteſtati legitimæ Civili præjudicium ferat, aut ferre poſſit, atque in ſtatu, ubi aliqua Religio pro lege fundamentali ſtabilita eſt, leges civiles & eccleſiaſticæ ita ſunt invicem attemperatæ, ut ſibi nullum obſtaculum aut detrimentum inferant. Nihilominus per accidens, & quantum ad externam Politiam vel æconomiam Eccleſiæ attinet, damna publica Eccleſiæ vel reipublicæ per ordinationes eccleſiaſticas ſequi poſſe, & quandoque ſecuta fuiſſe, concedo, atque in his Placetum regium etiam contra litteras Pontificias valere non abnuo. Sed rei cauſam, modumque penitius inſpiciamus.

Poteſtas Eccleſiæ per ſe eſt independens, & Poteſtati ſæculari nullo modo ſubiicitur:

id

id nemo Catholicus negare poterit. Hinc eſt, quod initio & per multa ſæcula Apoſtoli, Pontifices, Epiſcopi leges, ſtatuta in — & pro Eccleſia ſanciverint, executioni mandaverint absque omni interventu, ratihabitione, conſenſu Poteſtatis ſæcularis. Utique optantum eſſet, ut Concordia ſacerdotium inter & Imperium ſemper ſtetiſſet, ac cuivis Poteſtati ſua Jura intacta permanſiſſent; ſed ſucceſſu temporis utrinque excedebatur, utrinque peccatum fuit. Imperatores Reges ſe nimium ingerebant negotiis eccleſiaſticis, quod iam Hoſius, Athanaſius, Lucifer Calarit., Dionyſius Mediol. in Conſtantio, Gregorius Nazian. in Theodoſio, Ambroſius in Valentiniano Imperatoribus &c. &c. reprehenderunt. Vide ſupra §. 6. in Not. Accedit, quod ſub Regibus poſtea Merovingicis & Carolingicis, præcipue cum ad continendos in officio neo-converſos Populos, ad fidem ſtabiliendam, ad ſtatum Eccleſiæ formandum, ordinandumque neceſſaria fuit Principis Authoritas, negotia eccleſiaſtica publice in Comitiis coram Imperatore, Epiſcopis, & Primoribus Regni tractarentur,

in

indeque leges emanarent, hinc factum eſt, ut quod prius in Imperatoribus Zelus ac Religio, ex parte Eccleſiæ vero æconomia, indulgentia atque neceſſitas fuit, poſtea in Jus aſſummeretur, atque poſteriores iamiam in Electiones, Conſtitutiones Perſonarum Eccleſiaſticarum, Epiſcoporum, horumque cauſas, & alia Eccleſiæ negotia ſeſe liberius ingererent; unde colliſio, diſſidia inter utrumque ſtatum Politicum & eccleſiaſticum exorta ſunt.

Sed non minus de exceſſu poſtulabantur Epiſcopi, atque ſummi Pontifices. Illi cum in negotiis Regni publicis magnam authoritatem, & in Comitiis vota haberent, inſuper pietate Imperatorum etiam cauſas & lites mere civiles ad ſe trahere, atque decidere poſſent, uti conſtat ex Capitular. Caroli M. Lib. 6. C. 366. ubi etiam citatur Lex Theodoſii Imp. Lib. 16. C. 11. &c., ſicque ſenſim cauſas, quæ ſunt mixti fori, privative ad ſe traherent, ſæpe etiam ſive per ſe, ſive per ſuos Archidiaconos Clerum & Populum plurimum gravarent; Pontifices romani vero, dum prius

à

à Principibus vel Primoribus rogati tanquam Patres ſpirituales & Arbitri in cauſis Regni & Regum arbitrium in ſe ſuſcipiebant, Regna, Provinciæ ſponte tributa & cenſus offerebant, iuſte ac neceſſario Eccleſiis, corrupto per Simoniam & concubinatum Clero, aut ob ignorantiam & alia vitia inepto, per digniores, habilesque providerent; poſtea autem illud arbitrium ſibi ſtrictius vindicare vellent, cenſus cum rigore expoſcerent, legati à latere miſſi, quamvis ſine culpa Pontificum, & limites ſuæ poteſtatis aut moderaminis egreſſi per collectas &c. ſtatum & Provincias gravarent, collationem illorum beneficiorum perpetuo ſibi reſervarent; hinc ex parte Poteſtatis eccleſiaſticæ non minus exceſſus fuit, ex quo tandem illæ querelæ & gravamina Nationum ſuum ortum traxerunt.

Diu utrinque diſceptatum fuit, donec per Pacta, Concordata &c. amicabilis via quæſita, & tandem obtenta fuit. Cum ergo Eccleſiæ & Reipublicæ plurimum interſit, ut Pax & tranquillitas publica inter utrumque

que ſtatum conſervetur, quis negaverit, Principi incumbere, ut invigilet, ne quid etiam ab ipſis ſummis pontificibus ſucceſſu temporis contra hæc Pacta & Pacem publicam attentetur, & Concordia ruat; facile enim ſummi Pontifices falſis precibus, importunis ſuggeſtionibus circumveniri, adverſus Regni Concordata vel Privilegia aliquid concedere, vel ab iis ſub- & obreptitie obtineri poſſunt, quia ſingula omnium Regnorum ac Nationum Pacta, Jura & commoda ſemper præ oculis habere nequeunt, & quæ minime eſſent conceſſuri, ſi per ſinceram, iuſtamque narrationem informati fuiſſent.

Accedit, quod nonnunquam materia mixti fori ſit, & rationes ſtatus publicas, diſciplinæ eccleſiaſticæ & Politiæ civilis ſimul implicatas habeat, eaque ſub vario reſpectu conſiderata à diverſis Poteſtatibus eccleſiaſtica & ſæculari pendeat.

Utrobique ex hoc fine *Placetum Regium* non tantum iuſtum habet fundamentum, ſed & Pontifex invitus eſſe non cenſetur, quia legitimis Juribus, Concordatis, Privilegiis Reg-

Regnorum derogare velle, aut gravamen inferre, nunquam præſummitur. Hæc equidem de cauſa & fine huius *Placeti Regii* dicta ſunto; unde etiam patet, quare poſterioribus primum ſæculis, nempe poſt enata Pacta, Concordata, eiusdem uſus cæperit, in prioribus vero huius nec uſus, nec mentio unquam fuerit?

Sed iam de eius obiecto & uſu ipſo etiam agendum erit. Materia fidei, dogmata, horumque deciſiones & definitiones, atque ipſa Poteſtas clavium non ſubiacent *Placetó Regio*, ſic ut Principes quidem eas, utrum non quid aliud contineant, inſpicere poſſint, ſed tamen executioni dare teneantur. Huius ratio manifeſta eſt, quia Principes non minus ac alii fideles doctrinam fidei & morum à Paſtoribus Eccleſiæ accipere debent, & Poteſtati clavium ſubiecti ſunt. D. Barthel opuſc. II. de Jure reform. antiq. art. 8. n. 24. ait: *Reges & Principes Catholici — — — volentes per ſe vel in ſuis Auditoriis examinari Conſtitutiones eccleſiaſticas, bullasque romanas, neutiquam ſe præſummunt in Judices fidei & Reli-*

Religionis erigere, aut decidere, quid de fide credendum, aut non credendum ſit, neque poteſtatem legislativam in negotiis eccleſiaſticis ſibi arrogare, ſed duntaxat ad ſuum examen & extrajudicialem quamdam notionem, ſive nudam & generalem inſpectionem eas revocari prætendunt. — — aliud enim longe eſt, Principem ſe interponere promulgationi novæ legis per ſuas Provincias, eiusque executioni, & aliud velle iudicare de ipſis articulis & dogmatibus, ſive quid credendum de fide ſit, vel non credendum, definire & determinare, ac Canonem eccleſiaſticum circa res ſpirituales condere.

Pariter Principes leges mere eccleſiaſticas, ſtatuta, Mandata, item ordinationes, Proviſiones jure aut per Concordata ſummo Pontifici debitas executioni mandare tenentur. Quippe illæ vel ad poteſtatem clavium pertinent, vel in Jure communi & Pactis firmantur, quibus contravenire nullo modo poſſunt, aut debent, quia Juri eccleſiaſtico ſemel ſtabilito & communi non ſuperemi net Princeps, Pacta autem bilateralia ſunt; hinc idem Barthel Diſſert. General. de Con-

cordat. Cap. 3. Sect. 3. num. 4. ait: *neque exinde eiusmodi Principes Catholici partem aliquam Poteſtatis jurisdictionalis, vel Canonibus iudicia circa Sacra, e. g. decidendi articulos fidei, iudicandi cauſas ſpirituales, verbo, ullam authoritatem aut uſum clavium, quas ad ſolvendum aut ligandum Chriſtum ſoli Petro & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, Romano præcipue Pontifici conccdiſſe, fide indubitata tenent, attingere, & ſibi uſurpare, neque legitimas Pontificias Proviſiones aut leges & ordinationes reiicere, aut earum executioni obicem ex æmulatione obiicere præſummunt.* Hæc de Principibus aſſerit D. Barthel, quos vocat *Catholicos.*

Ex his ſequitur, *Placitum Regium* tantum materiam mixti fori, Concordatorum, item Privilegiorum ac conſuetudinum Regni ſpecialiter & proprie pro ſuo obiecto habere; in reliquis inſpectionem non negari, ſed nec executionem impediri poſſe, aut debere.

Quare inter rectum uſum & abuſum *Placiti Regii* diſtinguendum erit. Politici, adulatores hodie ſæpe inter jura Poteſtatis civilis numerant, quæ per ſe mixti fori ſunt, aut

omni-

omnino ad poteſtatem eccleſiaſticam pertinent: Principibus adulantes manus etiam in Sacra exporrigere ſuadent, ſub prætextu *Placiti regii* etiam iuſtas ordinationes ſummi Pontificis non raro cum præiudicio Eccleſiæ vel poteſtatis Eccleſiaſticæ impediunt, vel etiam eccleſiaſticis Perſonis damnum aut violentiam inferunt, ſicque illud ipſum medium, quod ad pacem & concordiam adinventum fuit, in cauſam novarum litium & diſſidiorum convertitur.

Profecto abuſus foret, ſi titulo *Placiti Regii* Reſcripta & Bullæ in materia dogmatica fidei & morum, item circa ordinationes & leges pure eccleſiaſticas, quæ præciſe ad poteſtatem eccleſiaſticam pertinent, neque Concordatis, Juribus, conſuetudinibus Regni in aliquo adverſantur, vel retinerentur, vel executioni non mandarentur. Quippe jus *Placiti Regii*, fundatur in jure defenſionis, atque in protectione Reipublicæ & Eccleſiæ: ſed Princeps Eccleſiam & Rempublicam contra fidem, Religionem & Poteſtatem Eccleſiaſticam defendere non poteſt; non enim

 Reli-

Religio evertit Regionem, ut ait D. Barthel, ſed ea omnino neceſſaria eſt. Contra talem abuſum reclamavit Clerus Gallicanus anno 1615., quod Concilium Tridentinum non promulgaretur, in Generali Conventu, in quo aderant tres Cardinales, 50. Epiſcopi & triginta ſecundi ordinis Eccleſiaſtici viri, atque per hoc ſatis proteſtatus fuit, dum declaravit, ſe teneri ex officio & in conſcientia ad acceptandum Concilium Tridentinum, & ſe defacto illud acceptare, quod ſubſcriptionibus ac juramento ad ſancta Evangelia confirmavit, atque dein etiam in variis Conciliis Provincialibus recepit, licet *Placito Regio* firmatum non fuiſſet.

Abuſus eſt, ſi ſingulæ Epiſcoporum litteræ Paſtorales, ordinationes, ſtatuta *Placito Regio* ſubiiciantur: in Gallia tales eidem non ſubiiciuntur, ſed datur appellatio ab abuſu. De Epiſcopis non poteſt præſumi, quod contra Concordata, jura, conſuetudines Regni aliquid moliantur, quia illa ſemper præ oculis habent, & melius de his informati ſunt, quam ſummus Pontifex. Dein

ſic

ſic Poteſtati & iuſtæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ nimium præiudicium & impedimentum inferretur.

Abuſus eſt, ſi Imperantes ex æmulatione vel odio retineant litteras apoſtolicas, vel nollent permittere harum promulgationem aut executionem. Ita Barthel cit. opuſc. de Jur. reform. ant. & in annotat. ad jus Can. Lib. 1. tit. 2. §. 4. q. 3.

Abuſus eſt, ſi litteræ Pontificiæ vi Placiti Regii in materia diſciplinæ retineantur ſub prætextu, quod hæc vel illa pars diſciplinæ Poteſtati ſæculari ſubiaceat, quando haſtenus ad forum eccleſiaſticum pertinuit. Hoc enim non tam eſſet ſua jura defendere, quam alienæ poteſtati vim inferre: neque dum Rationes ſtatus Politici ſæpe mutantur, quando tunc ſub novis his rationibus aliquid creditur ad poteſtatem Civilem pertinere, eo ipſo ſequitur, quod Eccleſia aut Poteſtas eccleſiaſtica ſtatim debeat ſuo juri quæſito cedere, quia Poteſtas Eccleſiæ per ſe independens eſt à Poteſtate Laica, & materia per amicabilem concordiam vel eſt tranſigibilis,

 vel

vel limites utriusque Poteſtatis utrinque inquiri debent.

Hæc propoſitio, quæ hodie à Pſeudodoctis & Politicis paſſim aſſeritur, atque pro veritate venditur, nempe *quod diciplina exterior Eccleſiæ, & quidquid humani inſtituti eſt, ad jus Regis pertineat;* hæc, inquam, propoſitio omnino falſa eſt, ſacræ ſcripturæ, Traditioni, Conciliis æcumenicis &c. adverſatur, atque per eam poteſtas & jurisdictio in Eccleſia aperte negatur. Certum enim eſt, Apoſtolos, Pontifices, Concilia ab initio naſcentis Eccleſiæ diſciplinam in Eccleſia exteriorem & interiorem propria authoritate & Jurisdictione ordinaſſe, mutaſſe, dempſiſſe, addidiſſe, hancque poteſtatem Eccleſiæ competere, ſæpe in Conciliis contra hæreticos definitum fuit. Si ergo circa aliquod punctum diſciplinæ controverſia inter utrumque Statum oriatur, fas non eſt Poteſtati ſæculari, eam partem diſciplinæ jurisdictioni Eccleſiæ ſubtrahere, aut ſibi vindicare: attamen ſi Reſpublica inde detrimentum patiatur, debet Eccleſia eam ſic attemperare, ne

Rei-

Reipublicæ in iuſtum gravamen aut præiudicium amplius inferatur. Quod ſi vero talia principia ſtatus arripiantur, per quæ illa pars diſciplinæ omnino à jurisdictione Eccleſiæ eximatur, hoc iam non jus reſpective ad Eccleſiam, ſed vis & violentia reputabitur, quæ nulla poſſeſſione firmari, nec in exemplum trahi poteſt, cum ob mutata ſtatus principia, Eccleſia & Poteſtas ſacra per ſe independens jus ſuum perdere, aut abdicare non debet, nec poteſt.

Hactenus dicta non ita intelligenda eſſe velim, quod Princeps, ut Advocatus & Defenſor Eccleſiæ, diſciplinæ in ſuo Statu collabenti vel collapſæ nullum remedium afferre, aut reformationem præcipere non poſſit; tantummodo volumus, id fieri per media convenientia, conformiter ad Canones & praxin Eccleſiæ præſtabilitam, atque per eos, qui Poteſtate & jurisdictione eccleſiaſtica potiuntur. His viis videmus in Gallia, manum admovente Rege, diſciplinam jugiter conſervatam aut inſtauratam fuiſſe. Aliud quippe eſt, ſacram diſciplinam mediis aptis pro-

promovere, excitando & adjuvando Poteſta-tem Eccleſiæ, ut illa principali fini, qui eſt Salus æterna fidelium, inſerviat: & aliud, diſciplinam Eccleſiæ ad Politiam Sæculi conformare, ut huic potius, & politico intereſſe Status ſubeſſe cogatur; advocatus enim & tutor alieno, non proprio nomine & authoritate agere debet.

Habet ergo *Placetum Regium* ſuum rectum uſum; ſed non minus facile abuſus irrepere poteſt, ſi Princeps non meminerit, ſe non tantum defenſorem Reipublicæ, ſed & tutorem ac vindicem Eccleſiæ eſſe. Dein dum *Placetum Regium* pro promulgatione & executione legis Eccleſiaſticæ prætenditur, quis unquam legi ſponte ſe ſubjicit, & ſententiam in ſeipſo & charis ſuis domeſticis libenter exequitur? quis credat, à Politicis & Conſiliariis Status libenter ſubſcribi legi Eccleſiaſticæ, & executioni mandari, quod ſæpe ſuis affectibus, Paſſionibus, genio, intereſſe minus favere diſpicitur?

Porro intereſt adhuc quærere, poſtquam Poteſtates Sæculi per *Placitum Regium* jure defe-

defenſionis Reipublicæ utuntur, utrum Eccleſia, Pontifex, Epiſcopi non eodem jure & *Placeto Eccleſiaſtico* uti poſſint contra Edicta & ordinationes Magiſtratus Politici, quibus Poteſtas & jurisdiEio Eccleſiaſtica impetitur, vel præjudicium infertur? utraque Poteſtas per ſe eſt invicem independens, nulla alteri præjudicium inferre debet, quævis jure defenſionis potitur, ideo Poteſtati civili gladius materialis, Eccleſiaſticæ gladius ſpiritualis conceſſus eſt; cum igitur rationes utrinque ſint æquales, & cuilibet æqualiter incommoda & pericula obvenire poſſint, nullum obſtat rationabile fundamentum, quo minus Eccleſia jure *Placiti Eccleſiaſtici* uti poſſit. Fuit nuper, qui hoc argumentum ridicula reſponſione eluderet, nempe non eſſe præſumendum de Poteſtate ſæculari vel Principe, quod Eccleſiæ unquam præiudicium inferre vellet; quaſi illa nunquam poſſit exarbitare, & ultra ſuos fines atque limites vagari; quaſi illa ſemper iuſta proponat, & infallibilis ſit: quaſi illud nunquam adhuc factum ſit, nec modo fiat, ſicque adhuc in-

 ani

ani præſumptioni ſtandum ſit, dum facta & exempla toties contrarium docent?

Sed quantumcunque hæc futilia & ridicula ſunt, attamen aliud obſtat impedimentum, per quod illud *Placetum Eccleſiaſticum*, alias de ſe legitimum ſuo careret effectu, nec etiam opportunum foret. Poteſt Princeps vel Magiſtratus inſpicere ordinationes Pontificias, utrum nihil Pactis, juribus, Privilegiis, conſuetudinibus Regni & Eccleſiarum contrarium contineant, quibus nihil derogare, nec etiam edidiſſe præſumnitur Pontifex, ſi ea præ oculis habuiſſet, vel rite inſtructus fuiſſet: ſed vice verſa non poteſt Pontifex omnium Regnorum & ſtatuum edicta, & leges, quotidie emanantes inſpicere, & ſimul cuiusvis in particulari Pacta, Privilegia, commoda, conſuetudines ſcire atque ponderare; poſſent equidem hoc Epiſcopi quilibet reſpective in ſuo ſtatu vel Regno, ſed pariter adhuc alia ratio obſtat, quo minus etiam hoc poſſibile aut opportunum videatur. Si Edicta Principum vel ſtatuum ante promulgationem ad Epiſcopos deferri deberent, id mul-

multum derogaret Authoritati Principis, & retardata executio vel promulgatio legis nocere poſſet; nam Populus facile perſuaderi poſſet, plus Authoritatis in Epiſcopo etiam quoad civilia, quam in Principe reſidere, penes Epiſcopum ſtare, ut Lex vel mandatum executioni non mandetur, ſicque Poteſtas Regia in contemptum abiret, & non raro coarctari poſſet cum detrimento Reipublicæ. Equidem id ipſum fors contra *Placitum Regium* obiici poterit; ſed quia Princeps eſt tutor & defenſor Eccleſiæ, huiusque officii memor illo non aliter niſi Jure defenſionis uti debet, ideo Eccleſia non tantum à *Placito Regio* abhorret: quod ſi in alium finem utatur, utique per hoc male conſultum erit Eccleſiæ. Attamen utriusque Placiti ulterior adhuc ratio diſcriminis eſt, quod Princeps ſemper ſufficientia & efficacia media habeat impediendi, ne leges Pontificiæ in ſua ditione promulgentur; hinc ſatius eſt, eas ſubmittere Placito Regio, quam permittere, ut Authoritas Pontificia publice contemnatur, & leges ſæpe optimæ ſuo effectu & fructu careant. Econtra nec Pontifex, nec Epiſcopi impedi-

re

re poſſunt, ne leges civiles promulgentur & ſi ſemel promulgatæ ſunt, Regius honor non patitur, ut iterum ad diſplicentiam Papæ, vel alicuius Epiſcopi revocentur. Hæc igitur omnia non quidem iuri *Placiti Eccleſiaſtici* (quod ut dixi, iisdem fundamentis innititur, atque per ſe non minus ſalubre, iuſtum & legitimum foret) ſed huius executioni & fini obſtare videntur.

Quid ergo ſupereſt Eccleſiæ, quo ſe contra invaſiones & uſurpationes Poteſtatis ſæculi defendat? olim Pontifices, Epiſcopi dehortabantur, arguebant, obſecrabant in omni patientia & doctrina ſecundum monitum Apoſtoli, quod iam vidimus in Hoſio, Athanaſio, Gregorio Narzian. Ambroſio, ut tot ſummos Pontifices taceam. Dum hæc nihil proficiebant, gladio Spirituali ſe & Eccleſiam defendebant damnando, anathematizando, cenſuras infligendo: vidimus Henoticonzenonis, Ecthefin Heraclii, typum Conſtantis, inveſtituras reiectas atque damnatas fuiſſe: nec alia ſimilis defenſionis exempla deſunt. Tandem introducto *Placito*

Regio,

Regio, cum iam Poteſtas Eccleſiæ in ſuo exercitio non raro nimium atque indebite impediretur, Pontifices ſuas leges, ſententias, novo ſtylo introducto, Romæ in Campo Floræ promulgari faciebant, libros, ſcripta cenſuræ ſubiiciebant, damnabant, prohibebant, configebant: ſed poſtquam illa promulgatio pro omnibus Provinciis orbis Catholici inſufficiens viſa eſt, & jam modo hodierni Pſeudo-Politici cum Febronio cenſuras Romanæ Congregationis Indicis publice in invidiam trahant, cenſuras, fulmina Romana non metuenda, imo contemnenda eſſe doceant, & veteri Eccleſiæ ignoto atque inaudito auſu ne quidem ſubditum ſine præſcitu ſui Principis excommunicari poſſe prætendant, ſtantibus his principiis atque doctrina, quid amplius ſupereſt, quam ut Pontifices, Epiſcopi videntes abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto Eccleſiæ, huisque poteſtatem penitus contemptam atque conculcatam eſſe, claves Petri in ſinum ſuum recondant, ac cum illa muliere apocalyptica, quæ figura eſt Eccleſiæ,

in ſolitudinem fugiant? nunc ad reliqua reſpondendum erit.

Ad 1. Quando quæ à Curia Principis emanant, ab ipſo Principe emanaſſe creditur, neſcio, quomodo ſanctam Sedem à Curia Romana ſecernere poſſit Febronius, ut non ipſum centrum unitatis de ſcandalis occaſione Schiſmatis, impedimento reunionis hæreticorum & converſionis infidelium accuſare debeat. Si tamen ſola Curia ſuſpecta ſit datur humilis recurſus ſicut ad Principem, ita ad Papam.

Ad 2. Recte monet de Concilio Tridentino: id ipſum citata Seſs. 25. Cap. 20. de Reform. officium Imperatoris Regum, Principum in Eccleſia exponit, quod ſi adimpleatur, omnia ſalva erunt. Verba damus, & videat quisque utrum cum doctrina & Syſtemate Febronii &c. conveniant: *Sancta Synodus Sæculares quoque Principes officii ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque Protectores eſſe voluit, jus ſuum Eccleſiæ reſtitui,*

non

non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos & Superiores Ordines reverentiam revocaturos, nec permiſſuros, ut officiales vel inferiores Magiſtratus Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione & canonicis Sanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu in conſideratione aliqua violent, ſed una cum ipſis Principibus debitam ſacris ſummorum Pontificum & Conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit, ſacros Canones & generalia Concilia omnia, nec non alias Apoſtolicas Sanctiones, in favorem Eccleſiaſticarum Perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus obſervari debere. Propthereaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes & omnes & ſingulos, cuiuscunque Status, & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios Poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quæ eccleſiaſtici Juris ſunt, tanquam Dei præcepta, eiusque patrocinio recta venerentur; nec ab ullis Baronibus, domicellis, Rectoribus, aliisve dominis temporalibus ſeu Magiſtratibus,

bus, maximeque Miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur, ſed ſevere in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediunt, animadvertant, quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, Religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos, Religioſiſſimosque Principes. qui res Eccleſiæ ſua inprimis authoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt &c.

Hactenus verba Decreti. Febronius ex hoc Decreto probat, Reges & Principes *Jure divino natos* eſſe Defenſores & Protectores Eccleſiæ: ſi in hoc valet Decretum, etiam in cæteris valebit, ubi illorum officium exponit. nempe ut omni Clero reverentia habeatur: ut Eccleſiæ jus ſuum reſtituatur; ut Eccleſiæ & Perſonarum eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus conſtituta NB. nullo cupiditatis ſtudio &c. violetur: ut etiam à Principibus ſummorum Pontificum conſtitutionibus debita obſervantia præſtetur: ut Canones & Apoſtolicæ ſanctiones de libertate Eccleſiæ & Perſonarum eccleſiaſticarum contra violatores

exac-

exacte obſerventur, & ſevere in illos animadvertatur &c. Hæc omnia ſi non obſervent Principes, utique officio Protectoris Eccleſiæ juxta Tridentinum nequaquam ſatisfaciunt. Allegavit Febronius hoc Decretum Tridentini, nunc ipſe cum illo ſuam doctrinam conciliet.

Ait quidem, Reges & Principes eſſe defenſores Canonum *verorum*, non *ſpuriorum*. Bene eſt: ſed ſi *veteres* & *veros* Canones inſpicias, ſi ad hos diſciplina Eccleſiæ redigi debet, tunc plures tales invenies de immunitate reali & perſonali locorum, Perſonarum, bonorum Eccleſiaſticorum, ita ut ne quidem Monaſteria Monachorum in diverſoria Laicorum commutari poſſint. Canones admittit, ad tales provocat; unde ergo doctrinam contrariam tenet?

Ad 3. Lamentabile eſt, quod vetus diſciplina cauſâ Laicorum, qui rigorem amplius ferre nolebant, cauſâ Cleri vitiis depravati, cauſâ Epiſcoporum, qui ſuis officiis deeſſe cæperant, debuerit immutari: ſed magis lamentabile, quin & contradictorium eſt,

quod vetus diſciplina revocari poſtuletur ab iis, qui hujus jugum certo portare nolunt, atque ipſos Canones, qui ex ea adhuc ſuperſunt, vigentque, abrogari faciant, culicem excutientes, & Camelum deglutientes, feſtucam in oculo fratris videntes, & trabem in proprio oculo non conſiderantes. Jacent utique ſancti Canones non per Iſidori decretales, ſed per Pſeudo-Doctorum & Politicorum falſa Syſtemata & Doctrinam. Argumenta Emanuelis Schelſtrate Natalis Alexander nequaquaquam ſolvit, neque ſolvit Febronius; non igitur ineptiſſimæ fabulæ ſunt, ſed merito triumphant. vid. Cap. VI. in Not.

Ad 4. Pius IV. invitavit Principes ad protectionem, obſervationem & executionem Concilii Tridentini; inde naſcitur facultas condendæ legis in eiusdem Concilii executionem & manutenentiam ſic, ut neque diſpenſationes Apoſtlicæ admitti debeant? qualis hæc ſequela? an Pius IV. per hoc flagitavit, ut à Poteſtate ſæculari ſibi manus ligentur, claves Petri auferantur, dum tamen in ipſo Concilio expreſſe cautum fuit, ut *Au-*

thori-

thoritas Sedis Apoſtolicæ in omnibus ſalva ſit, & eſſe intelligatur? nunquid manifeſte Poteſtas ſæcularis tantum ut ſubſidiaria atque in auxilium imploratur, poteſtate principali manente penes Concilium & Pontificem?

Sed ait Febronius: Sedes Apoſtolica ſine ulla cauſa & neceſſitate *ordinarie* diſpenſat. Dico, hoc falſiſſimum eſſe. Iuſta cauſa ſemper proponitur, vel ſubeſt; quod ſi ob- aut ſubreptio intercedat, preces impetrantis veritate non nitantur, has ipſi Potentes ſuo patrocinio ſuſtentent, quin etiam motiva prius in Curiis Epiſcoporum examinata ſunt, in hos, non in diſpenſantem culpa reiicitur. Vid. Cap. V. & VII. in Not. novi ego exempla, ubi tales diſpenſationes denegatæ fuerunt, & Febronius ait, *ordinarie* diſpenſari. Cardinalis Camus recte egit retinendo Brevia talium Diſpenſationum & Indulgentiarum; ipſe enim ſcire potuit, an revera legitima cauſa adfuerit? Pontifex ſcire non potuit, qui ſi ſciviſſet, gratiam non conceſſiſſet, & ideo ordinarie clauſula additur: *ſi preces veritate nitantur*, ſecus ipſe vult, gratiam con-

 ceſſam

ceſſam non valere. Sed quid? ſi ipſæ Curiæ Epiſcopales tales diſpenſationes & indulgentiarum largitiones promoveant. Quid? ſi hodierni Pſeudo-Canoniſtæ & theologi cum Febronio & Politicis prætendant, omnes Epiſcopos habere plenam poteſtatem diſpenſandi in omnibus materiis diſpenſabilibus, etiam in juramento, votis ſolennibus univerſaliter, & quidem ſine cauſa canonica, nempe tum, quando ſolum adeſt voluntas Principis, aut aliqua ratio ſtatus obmovetur. En inſcitiam! en adulationem! econtra ſupremus Pontifex & univerſalis Paſtor non poſſit? en invidiam!

Ad 5. Galli magna cum reverentia agunt cum Pontifice: hoc utique verum eſt. Dum vero Barthelium citat Febronius, eiusdem Barthelii verba in hanc rem Diſſert. Gener. de Concord. Cap. 3. Sect. 3. num. 10. adferre oportunum erit. *Ordo porro modusque in dicto recurſu* (ad Imperatorem) *omnino ſevandus eſt, tum ne Cæſarea Maieſtas præpropere, immodeſte, ac indiſcrete fatigetur: tum ne immunitas eccleſiaſtica gravis labefactationis*

peri-

periculo inde exponatur, idemque fatum Clero Germaniæ contingat, quod Eccleſiam Gallicanam uſque hodie affligit, quæ dum à ſummorum Pontificum Decretis & Bullis paſſim ad Poteſtates, ſæculares recurrit, Poteſtatis ſæcularis facta eſt ſerva, & cum Romanæ Sedis Jurisdictionem moleſte nimis, ac plus æquo graviter tulit, ſuam à Laica fere abſorptam deprehendit, ac ingemiſcit. Spondanus Apamienſis Epiſcopus & ipſe Gallus in ſuis Annalibus ad ann. 1438. num. 22. poſt receptionem Concilii Baſileenſis & Sanctionis Pragmaticæ idem ingenue ſatetur, cuius verba non ſemel allegavi. Ideo mirum non eſt, Gallos cum Pontifice reverentius agere, & videant Epiſcopi Germaniæ, quo itinere vadant, certe adhuc felices, ſi faciant aliena pericula cautos.

Ad 6. Quid futiliter Principum & Magnatum attentionem provocat? cauſæ Epiſcopales maiores iam diu ante Iſidori decretales, & iam in veteri Eccleſia reſervatæ erant. Vid. Cap. IV. in Not. num impedimenta, quæ profert, non etiam in Conciliis Provincialibus aut nationalibus à loco Epiſcoporum accuſatorum vel

litigantium longe diſſitis occurrunt, præcipue dum illa Concilia ſæpe poſt plures annos vix celebrabantur? an non eadem impedimenta adeſſe poſſunt, quando in late diffuſo Regno per aliquot centena milliaria Appellantes ad Principem recurrere debent?

Ad 7. Etiam Epiſcopi, Præſides Provinciarum malis affectionibus agitari, iniuſtam ſententiam ferre, & ſubditos gravare poſſunt: quis hoc negabit? & quidem eo facilius, quando hi ſubditi homines privati ſunt; cur igitur his adpellare non liceat? cur Remedium defenſionis denegetur ideo ſolum, quia contemptibiles, quia homines privati ſunt? infelix Regnum, in quo ad Principem non patet aditus, niſi Nobilibus, eminentioribus tantum, atque adulatoribus!

Ad 8. Principibus indifferens eſſe non debet, ſed omnino urgere & exequi oportet, quod ſemel publicis Pactis & Concordatis firmatum eſt. Ideo mota à Febronio querela aut monitio ſuperflua eſt, imo decori inclitæ Nationis Germanicæ, atque juſtitiæ adverſatur, ſi Pactis & Concordatis non ſtatur.

De

De reliquo abſtineant ſubditi à petendis gratiis, & nihil ſolvere debebunt.

Ad 9. De Juribus Epiſcoporum, & quomodo aliqua ſponte vel cum cauſa ad ſummum Pontificem remiſſa fuerint, iam ſatis alibi diximus, præprimis Cap. VII. in Not. dum redit Febronius ad illud cum *plenitudine poteſtatis*, quam in capite Eccleſiæ capere non valet, cur eam in quolibet Epiſcopo capit in ſuo Syſtemate? dico Illi: Epiſcopi vocati ſunt *in partem ſollicitudinis* pro univerſa Eccleſia, quia Bonum totius Eccleſiæ præ oculis habere & curare debent: vocati ſunt etiam in *partem Poteſtatis*, ſcilicet quilibet pro ſua Diæceſi ſibi aſſignata & commiſſa, non pro univerſa Eccleſia, cuius tantum à quovis pars in ſolidum tenetur: non autem vocati ſunt *in plenitudinem Poteſtatis*, ne quidem pro parte ſibi commiſſa, neque pro tota Eccleſia, ſecus omnis ſubordinatio ceſſaret, nulla eſſet hierarchia, quilibet in ſua diæceſi teneret Primatum, qui ſoli Petro conceſſus fuit, neque Primati, neque Patriarchæ, neque Concilio Provinciali ſubiici poſſet: eſſet

Paſtor univerſalis, totque eſſent jure Divino Primates, quot Epiſcopi.

Ad 10. Febronius ex arena diſcedere non vult, niſi adhuc ſemel inviſam ſibi Religioſorum cohortem exagitaverit, calumniis inſectatus fuerit. De horum exemptionibus & Privilegiis jam diximus. Quod vero illas ſententias attinet, ſi gravibus & immotis fundamentis nituntur, quæ ſubrui non valent, juſte eas defendunt, & injuſte proſcinduntur, contumeliis afficiuntur, opprimunturque; certe Febronius cum ſuis illa fundamenta & ſententias evertere nequaquam potuit; econtra ipſius temerariæ opiniones, invidioſa & male confuta argumenta facile & ſolide confunduntur, evacuantur. Si Religioſi ſuis in principiis & ſententiis de falſitate convinci nequeunt, etiam de adulatione erga Papam accuſari non poſſunt: at quia Febronius falſis principiis innititur, de facto erroris, falſitatis, contradictionis ſæpe convincitur, nihilominus iisdem principiis inhæret, eum potius adulationis erga Principes & Epiſcopos reum agere poſſumus.

Famo-

Famoſam Ligam gallicam memorat, dumque hujus invidiam in ſolos Monachos rejicit, vel hiſtoriæ genuinæ expers, vel falſitatis convincitur: non dicam, Regem Hiſpaniæ, Ducem Sabaudiæ, multosque Principes huic Ligæ acceſſiſſe, foviſſe, ſed etiam dum poſtea multi Scriptores Galli in hanc Ligam calamum ſtrinxerunt, inter hos etiam ipſi Religioſi inveniuntur, & Febronius his ſolis totum malum, quod eveniſſe creditur, imputat. Pariter cum hoc ipſo tempore, anteſignano Febronio, ſæviſſimum Bellum contra Monachos movetur, obſervatione dignum eſt, quantum diſpar ſit ſenſus Galliæ in hoc puncto, videri poteſt in Edicto Regio Ludovico XV. 26. Martii anno 1768. edito, item quæ Dominus de Vayer de Buſigni celubris Parlamenti Pariſienſis advocatus in ſuo opuſculo de ætate Religioſæ Profeſſionis à Rege ſancita in laudem ordinum Religioſorum dixit. Joſephus I. Rex Portugalliæ Epiſtolâ ad Antonium de Souza Pereira univers. Conimbric. vice-Rectorem die 14. Decemb, anno 1768. ſcribit, *Religiones Dei Altaria plurimos & magni nominis ſanctos elevaſ-*

 ſe,

ſe, quo de re æquo jure omnem exiſtimationem ſibi promerentur. Plura taceo; quippe nec iſta regularis Profeſſionis Oſoribus placebunt.

Ad 11. 12. 13. Cardinalis Cuſanus non ait, quod Imperator ſua propria Authoritate, ſed *una cum toto Concilio* id agere debeat, nec dicit, ab hoc Concilio excludi Papam, & ſi diceret, noſtra argumenta contra Cuſanum æque valebunt. Neque Conſilium Cuſani tanti ponderis, æquitatis & juſtitiæ eſt, ut illud ſtatim ſequi debeamus. De cætero jam dixi: ſi vetus diſciplina, antiqui Canones revocandi ſunt, etiam illi de immunitate reali & perſonali locorum, bonorum, Perſonarum Eccleſiaſticarum, de Regularibus Monachis &c. obſervari, econtra multa Privilegia, conſuetudines particularium Eccleſiarum ceſſare debebunt. Taceant ergo veteres Canones intempeſtivi hi Zelatores & Reformatores, vel ſe ipſos contra illos ſe egiſſe fateantur.

Quæ ſequentibus numeris ponuntur, *Placitum Regium* attinent, de quo, quod ſupra Fuſius dixeram, in unum contraho. *Placitum*

citum Regium nec alium finem, nec rectum uſum habere poteſt, quam ne quid contra bonum Status Politici, Jura Regni, Pacta, Concordata, legitima Privilegia & conſuetudines invehatur; hinc maxime poſt Concordata cum Nationibus inita locum habet: in materiis autem dogmaticis, mere eccleſiaſticis, & quæ poteſtatem Eccleſiaſticam attinent, uſum habere non poteſt, niſi ſolummodo ad inſpiciendum, utrum Bullæ, Brevia &c. non quid prioris generis ſimul contineant? in priori caſu Princeps inſpectionem habet ut ſupremus Reipublicæ curator, vel Pars compaciſcens; in ſecundo ut Defenſor Eccleſiæ ad exequendum per legem ſubſidiariam, quod Principali authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum fuit.

Porro Febronius hoc Capite de libertate Eccleſiæ agit, atque pro remedio libertatis recuperandæ ponit idipſum, quod facile in abuſum verti, & libertati Eccleſiæ maxime noxium eſſe poteſt.

§. IX.

§. IX.

Sextum, idque generalius remedium in legitima reſiſtentia defigitur.

Superiora remedia in unico Generali, ſcilicet *reſiſtentia* comprehenduntur. Graviſſimi Theologi & Canoniſtæ, etiam Romani, Turrecremata, Sylveſter Prieras, Jacobatius &c. tunc comprobant eam, quando diſciplina evertitur, jura aliorum tolluntur, Scandala generantur, ut adeo *de Theſi* vix aut nulla ſuperſit quæſtio, ſed de *Hypotheſi* ſolum, quando nempe exſtent illi caſus. Gregorius VII. Lib. 2. Epiſt. 1. ad Arragoniæ Regem ſcripſit; *ſolet ſancta & apoſtolica Sedes pleraque conſiderata rationem tolerare, ſed nunquam in ſuis Decretis & conſtitutionibus à Concordia canonicæ traditionis deviare.* Alexander III. in Cap. 6. X. de Præb. & dignit. *Si mandatum noſtrum pro alicuius proviſione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode ſuſtentari, niſi forte in litteris ipſis de hoc mentio habeatur, aut ſi non poteſt ei ſine Scandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo Mandatum noſtrum non duxeris*

exe-

exequendum. Cap. 3. X. de Conſang. dum Legatus Apoſtolicus in certis gradibus prohibitis generalem dederat diſpenſationem, Cœleſtinus III. decidit, diſpenſatos conjungi non debere, *ſed obſervatæ conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem & Scandalum Populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate.* Innocentius III. Lib. 1. Epiſt. ad Faventin. Epiſcop. *quæ in derogationem ſanctorum Canonum attentantur, tanto potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto authoritas univerſalis Eccleſiæ, cui præſidemus, ad id nos provocat, & inducit.* Adde ejusdem Innocentii reſcriptum in Cap. 6. X. de Cleric. conjug. Modum & formam hujus reſiſtentiæ Febronius proponit ex Mathæo Pariſio in Roberto Groſſeteſtio Epiſcopo Lincolnienſi hiſt. Anglic. ad ann, 1253. pag. 582. qui ad aliquod Decretum Innocentii IV. P. conteſtata prius omni affectione, devotione Filiali, reverentiâ, obedientiâ, nihilominus quia illud Decretum peccatum induceret, Apoſtolicæ Sedis ſanctitati & Catholicæ fidei adverſatur, his verbis utitur: *unice, finaliter & obedienter non obedio, contradico, rebello,*

addit-

additque, *hanc ſuam contradictionem, & actionem nec contradictionem eſſe, nec rebellionem ſed filialem divinò mandatò debitam Papæ honorationem.* Cardinales indignationem Papæ compeſcentes fatebantur vera eſſe, quæ Epiſcopus dixit, ſuam contradictionem non prævalituram, illum ipſis Religioſiorem, ſanctiorem, excellentiorem eſſe.

Repetit dein Author oppoſitionem S. Cypriani, in qua usque ad mortem perſtitit, cui juxta Bellarminum perſuaſum erat, perniciosum à Papa errorem ſuſtineri, ideo Pontifici contra conſcientiam ſuam parere non poterat. Ipſe Gratianus Diſt. 19. Can. tradit, R. Pontificis conſtitutiones quaſi Oracula D. Petri acceptanda eſſe, cum hac tamen exceptione, *in quibus nec Patrum præcedentium Decretis, nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur.* Eodem teſte Diſt. 31. Can. 1. Pelagii II. Decretalis S. Gregorio M. *dura & incompetens viſa eſt*; quia juxta Gloſſam *fuit contra Evangelium.* Optandum foret, ut Epiſcopi Romanis Decretis ſeſe oppo-

poneu-

ponentes ſanctitate & ſano Zelo pares ſint Cypriano & Roberto Lincolnienſi.

1. Cardinalis de Turrecremata in ſumma de Eccleſia Lib. 2. Cap. 106. tertium remedium ponit *reſiſtentiam* per Cardinales, quare non per Epiſcopos? quartum, quando Papa incurrit Simoniam, non acceptare ea, quæ male & contra legem Dei per eum geſta ſunt: quintum, convocare Concilium Generale per Cardinales, vel alios primo ad monendum & exhortandum Papam, non ad eum deponendum, dein ad invocandum precibus, jeiuniis, rectis operibus Deum, tandem his mediis nihil proficientibus ad providendum de modo & forma reſiſtendi malis, invocato etiam Brachio ſæculari.

2. Similia ferme tradit Sylveſter Prieras in Summa, verbo *Papa*.

3. Cardinalis Dominicus Jocabatius Lib. 8. de Concil. Art. 3. laudat Baldum dicentem: *Si Papa non vult uti rationibus, ubi tractatur de periculo mundi, debet compeſci armis*. Et in ſexto remedio ait: *Concilium ſit*

coadu-

coadunatum invocabit Brachium ſæculare, ut puta Imperatoris, vel aliorum Principum, ad providendum de modo & forma reſiſtendi malis, quæ Papa facere tentaret, ne Eccleſia periclitaretur.

4. & 5. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tract. 1. de authorit. Papæ & Concilii Cap. 27. Franciſcus de Victoria Relect. 4. de Poteſtat. Papæ & Concil. dicunt, poſſe Concilium Generale convocari etiam invito Papa, ei obedientiam negari, Brachium Sæculare ad ei reſiſtendum implorari, quando vellet Eccleſiam & Theſauros Eccleſiæ S. Petri deſtruere, bona Eccleſiæ diſſipare, ſcandala & diſturbia in Eccleſia excitare, aliquid contra ſtatum univerſalis Eccleſiæ moliri &c. &c.

6. Ergo hæc Remedia adhiberi etiam poſſunt, quando Papa conaretur Regimen in Eccleſiam invehere à Chriſto alienum, illam hæreticis & Paganis redderet odioſam, fidelibus indebitum onus imponeret, non quidem omnes Epiſcopos deponeret, ſed tamen juribus propriis ſpoliaret, ſacros

Cano-

Canones per frequentiſſimas diſpenſationes Stylo iam ordinario everteret. Talia una vice molienti reſiſti deberet, quanto minus per latentia incrementa introducta ſunt toleranda. Auguſtin. tract. 11. in Joan. ait, pertinere ad Chriſtianos Reges, commoveri adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ.

7. Mathæus Pariſius in hiſtoria Anglicana aliud refert reſiſtendi exemplum, nempe dum Legati Curiæ Romanæ pro Beneficiis obtrudebant extraneos, Angli ſub pœna incendii prohibuerunt talibus adiuvare, adverſus hanc uſurpationem magis *ſe mori velle, quam à Romanis confundi* aſſerentes. Concilium Triburienſe anno 895. Can. 30. conteſtatâ prius omni Reverentiâ erga Apoſtolicam Sedem ſtatuit, ut ſi Presbyter aut Diaconus falſam ab Apoſtolico Epiſtolam, vel aliquid aliud, quod inde non convenerit, detuliſſe redarguatur, Epiſcopus eum in carcerem detrudere poſſit, uſque dum Apoſtolicus decreverit, quid de talibus lex Romana ſtatuat.

8. Eidem remedio magis locus erit, ſi Papa tranquillitatem Regni vel cujusdam

Provinciæ turbare, atque hunc in finem gladio ſpirituali abuti præſumeret. Ita docet Joannes Pariſienſis de Poteſt. reg. & Pap. C. 20. taliter Electores Imperii contra attentata Benedicti XII. in oppido Renſe anno 1334. ſuo concluſo hanc ſententiam addiderunt: *quicunque aliter docuerit, ſenſerit, factitarit criminis læſæ Majeſtatis reus, hoſtis Reipublicæ atque proſcriptus eſto, capi pœnas ſolvito, bona ejus publica ſunt, prædia infiſcentur.* Apud Goldaſt. Tom. 3. pag. 409.

9. Rurſum producit Canonem 30. Concilii Triburienſis, in tres partes dividens: prima eſt conteſtatio honoris; ſecunda, quid agendum de eo, qui falſas litteras, aut aliud, *quod non conveniat*, Româ deferat; tertia, ſanctæ Sedi determinatio pænæ permittitur non pro arbitrio, ſed *juſto ordine*, & *juxta Legem Romanam*, quæ minime erat Lex Pontificia. Citat Balluzium, Eccard.

10. Felinus auditor Rotæ in Cap. 8. X. de foro Compet. contra Venetos ſcripſit, *quod Laici teneantur ſervare ſtatuta Papæ & leges ſuper pace.* Non nemo addidit, Felinum hæc ſcrip-

ſcipſiſſe adulando, ſperando dignitatem Cardinalatus. Quod Bellum attinet Venetos inter & Pontificem, Jurisconſulti à Venetis pro conſilio rogati reſponderunt, humanam eſſe rationem, Naturam hic legem dicere, Venetos præcepto Papæ coarctari non poſſe, & *cum Scandalum eſſet publicum, & Eccleſia notorie ſcandalizaretur, nulli dubium, quin de Pontifice poteſt conqueri.*

11. Inter ſpurios Canones, quibus Romanæ Curiæ cum exceſſu faventes innitur, non paucæ purioris & genuinæ lucis ſtellulæ in corpore Juris tanquam inter nebulas lucent, quæ in unum collectæ iuſtum contra adverſariorum exceptiones lumen accenderent. Tales Canones Febronius plures hoc tractatu indicavit, quorum ſinguli Commentarios merentur, & in unum collecti utile eruditæ lucubrationis opus conſtituerent. Pro Coronide ponitur Canon. 57. cauſ. 2. q. 7. è S. Gregorio M. deſumptus. *Admonendi ſunt Subditi, ne cum ſtudent plus, quam neceſſe eſt, hominibus ſubiici, compellantur vitia eorum venerari:*

Nota.

Febronius priora omnia recuperandæ libertatis Remedia in unica *Reſiſtentia* concludit: de hac Reſiſtentia iam à Paragrapho IV. in Notis hucuſque egimus, & congrua Reſponſa dedimus. Certe ut *Reſiſtentia* ſit *legitima*, id ex cauſa, modo, ex Perſona & authoritate, quæ reſiſtit, & cui reſiſtitur, dignoſci debet. Febronius non omnia ſemper præ oculis habuit, modo unum, modo alterum tantummodo allegans, unde Reſiſtentia omni ex parte legitima nequaquam, ſed potius concluſiones Principibus & omni legitimæ Authoritati formidandæ, atque Reipublicæ noxiæ deducuntur.

Dicit Author, *de Theſi* nullam ſupereſſe quæſtionem, ſed ſolum *de hypotheſi*. At fallitur: inter Febronium, atque Theologos & Canoniſtas *de Theſi* adhuc quæſtio ſupereſt; nam quæritur, in quonam conſiſtat, & qualis ſit ea *Reſiſtentia*, de qua agitur? prius ipſa notio & idea reſiſtentiæ examinanda erit; nam Febronius longe aliam, quam illi Theologi & Canoniſtæ, proponit.

Ver-

Verba ſummorum Pontificum, quos citat, Gregorii VII., Alexandri III. Innocentii III. Febronium magis de eorum modeſtiâ, diſcretione, curâ, & cultu Canonum edocent, atque in eo ipſo, quod eis toties obiicit, confundunt. Hi ipſi tres Pontifices ſunt, qui ab eo ſæpe & plurimum impetuntur. Quoties queritur, R. Pontifices à Canonica traditione deviaſſe? an non ipſe palam aſſerit, Romam favere pluralitati Beneficiorum? an non mox ſuperiori paragrapho ſuſtinet,* Romæ in gradibus prohibitis diſpenſari *ordinarie & cum Scandalo Popularium*? ſed ſi Gregorius VII. ait, quod ſancta Sedes multa toleret, nempe particularia Privilegia, Conſuetudines locorum, quæ ab univerſali diſciplina deviant, nihilominus in ſuis decretis à Concordia Canonicæ traditionis non ſoleat diſcedere: ſi Alexander III. lubens ſuſtinet, ut Epiſcopus mandatum de Proviſione non exequatur, ſi obreptitie obtentum ſit, aut ſcandalum pareret: Si Innocentius III. novitatem non admittit, nihil in diſſenſionem & Scandalum Populi ſtatuendum eſſe vult, & ideo tales diſpenſationes revocat, annullat,

an in his laudabiles non ſunt? an iſta non probant, à mente Pontificum longe abeſſe, ut ſcandala, diſſenſiones excitent, à canonica traditione diſcedant, aut Epiſcopi talia mandata Apoſtolica, unde ſimile periculum vel malum oriri poſſet, exequi cogantur? Febronius hæc omnia Pontificibus imputat, & modo ex verbis ipſorum Pontificum oſtendit, hos nihil minus, quam talia agere vel intendere. Equidem ipſe multa adhuc ſcandala fingit, ſed hæc talia omnino non, vel ſolum phariſaica ſunt, quæ Rom. Pontifex cavere nec poteſt, nec tenetur.

Interim ex his omnibus, quid pro *Reſiſtentia* concludere valet? nec verbum, nec exemplum alicuius Reſiſtentiæ, ſed ſolum informatio iuſta hic invenitur, & Pontifices ſua ſponte illa mala abhorrent.

Formam Reſiſtentiæ nobis Febronius proponit in Roberto Lincolnienſi ex Mathæo Pariſio. Aſt inprimis Mathæus Pariſius ab omni ſuſpicione odii erga Sedem Apoſtolicam, nec corruptionis eius Editiones Londinenſes & Tigurinæ liberæ ſunt: dein Febronius

nius etſi longiorem Pariſii textum adducat, non tamen meminit, quale fuerit illud Decretum Innocentii IV., contra quod Robertus inſurgit: tandem unde probat, hanc reſiſtentiam fuiſſe vere *Canonicam*? ubi Canones, an unus audax & inhumanus Epiſcopus, qui in ſuis litteris eximiam Ruſticitatem prodit, ſi tamen alias ſit Religioſus & pius, *formam* toti Eccleſiæ dare, minus præſcribere poteſt, vel ſi ea utatur, hoc ipſo conveniens, legitima erit? laudant quidem Cardinales Roberti ſanctitatem, Zelum, eruditionem, item quod vera dixerit, ſed nullus modum, quo reſiſtebat, approbat. Porro hoc ipſum exemplum Cardinalium contra Febronium monſtrat, eos non eſſe meros Pontificum aſſentatores & adulatores, quam contumeliam ipſis atque Curialibus tam ſæpe aſpergit, & ubivis invidiam conflare nititur.

De oppoſitione & errore Cypriani ſatis diximus, ut opus non ſit, ea refricare. Febronius præfracte ſuſtinet, Cyprianum in ſua oppoſitione & errore usque ad mortem perſtitiſſe, & obiiſſe: hoc D. Auguſtinus ex A-

ſrica & verior & aptior teſtis de ſancto Cypriano non credit, & putat ejus reſipiſcentiam ſuppreſſam eſſe ab iis, qui illius errore delectati ſunt, & tanto Patrocinio carere noluerunt, ſic enim habet Epiſt. 93. §. 38. *Cyprianum aliter ſenſiſſe de Baptiſmo, quam forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ, non in Canonicis, ſed in ſuis & in Concilii litteris invenitur; correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur: non ingruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & forte ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto veluti Patrocinio carere noluerunt* Inter tales profecto eſt etiam Febronius.

Sed quid? ſi Febronius hoc Patrocinio carere deberet: ſi omnia de errore, ac proinde de oppoſitione Cypriani omnino conficta fuiſſent: etiam de hoc dubitare videtur Auguſtinus loc. cit. dicens: *quamquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub ejus nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum.*

Tandem Febronius Gratianum citat & Gloſſam: ſed utique meminerit, quod ipſe

Gra-

Gratiano & ejus Decreto omnem authoritatem abjudicet, ut etiam omnino ex Eccleſia eliminatum eſſe velit; pariter novit, quam authoritatem Gloſſa habeat? porro ſi Papa in doctrina fidei & morum *contra Evangelium & Evangelica præcepta*, quidquam decerneret, in tali caſu reſiſtentiam locum habere, nemo dubitat. Sed de hoc caſu nobis ſermo non eſt.

Ad 1. 2. 3. 4. 5. 6. Aliter loquuntur, docentque hi Theologi, aliter Febronius: apud illos longe alia eſt reſiſtentia, aliæ ſunt cauſæ, alius modus. Illi omnes dicunt, debere præcedere humilem admonitionem, devotam ad Deum orationem etiam per ipſum Concilium, ſi tale congregetur: dein reſiſtendum eſſe non à quovis privato aut ſua authoritate, vel obedientiam ſubtrahendam mandatis Pontificiis, quantumcunque eſſent contra determinationem Concilii, ſed reſiſtendum eſſe per Cardinales, vel per Concilium generale etiam cum invocatione Brachii ſæcularis, attamen cum humilitate, obedientia & reverentia, per honeſtam re-

prehenſionem, ſine depoſitione tamen, item non negando aliquo pacto authoritatem illius, ſed allegando ſolum, quod hoc ſit injuſtum, & in detrimentum Eccleſiæ: hæc omnia ex ipſis verbis horum Doctorum à Febronio allegatis & recitatis aperta ſunt.

Jam aliud eſt humilis & obſequens remonſtratio ac tractatio, aliud vero audax inobedientia: illi authores docent: reverenter eſſe agendum cum Romana Sede, ne executio adimpleatur, quando reſcripta Pontificia magnam alicujus Regni perturbationem excitarent, aut certo in detrimentum Eccleſiæ romanæ, Reipublicæ chriſtianæ & diſciplinæ Eccleſiæ vergerent; nam ut ait Cardinalis Urſinus, hoc non eſt intelligendum, quaſi quis Judex ſuper Papam eſſe poſſit, aut authoritate ſuper hunc præfulgeat, ſed per modum defenſionis, qui modus oppoſitionis etiam contra ipſos Monarchas & Principes locum habere poteſt. Porro quamquam illorum Doctorum authoritas parum nos moveat, inſuper adhuc negamus: tales caſus modo exiſtere, ea

omnia

omnia vera ac tanta eſſe, quæ Febronius proponit, ut etiam modeſtior hæc reſiſtentia opponi poſſit aut debeat, quod hactenus per totum opus in Notis probavimus, atque Febronius hoc præcipuum punctum controverſiæ, quod prius invincibiliter demonſtrari debuiſſet, jam demonſtratum fuiſſe falſiſſime ſupponit.

Ad 7. 8. 9. Hic iterum quæro: utrum Mathæo Pariſio certa fides habenda ſit? & ſi res ita ſe habeat, exemplum reſiſtentiæ quidem ponitur, attamen hoc honeſtum, conveniens & legitimum fuiſſe, neutiquam probatur. Joannes Pariſienſis quid authoritatis affert? eſt quoque alius hic longe caſus, nempe de ſollicitatione Populi ad rebellionem & de publico hoſte Reipublicæ loquitur.

Pariter num etiam Goldaſto fides adhibenda? an verba concluſi ab Electoribus præciſe contra Benedictum XII. Papam prolata ſunt? an hic proſcriptus, Banni & fiſci pænis ſubjectus fuit? an talibus Papa feriri poteſt?

Tan-

Tandem Concilium Triburienſe immerito allegat Febronius, quod nedum ullum reſiſtentiæ exemplum dat, ſed e contrario etiam vix tolerabile jugum reverenter atque humiliter portare jubet: ſic enim habet: *in memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus S. Romanam & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus.* Profecto his verbis non reſiſtentia, ſed obedientia præcipitur.

Secunda hujus Decreti pars vult eum ab ab Epiſcopo incarcerandum eſſe, qui *falſas* litteras à Papa detuliſſe deprehenditur. Hic iterum nulla reſiſtentia erga Papam invenitur; cur enim Papa defendat eum, qui ejus nomine abutitur, aut litteras authoritatem habere velit, quæ ſuæ non ſunt, quæ falſæ, aut ſaltem non niſi per fraudem ab eo ſunt elicitæ? non ergo contra Papam, ſed contra falſarium agitur. Febronius vim ponit in illis verbis, quæ majoribus litteris notavit, falſam

ſam Epiſtolam, *vel aliud quid, quod inde non convenerit*, ſed deſignatio vocis *inde* ſatis commonſtrat, ſenſum eſſe, *quod inde, nempe Româ, non venerit.* Nam tales falſitates & fraudes eo tempore ſæpe uſurpatas fuiſſe, plura illius ævi Concilia oſtendunt. Denique Concilium in tantum Pontifici reverentiam defert, ut talem falſarium, qui ab Epiſcopo puniri poſſet, nihilominus Papæ puniendum reſervet. Sed cur & qualiter Pontifex eum puniat? cur non magis eum defendat, ſi Epiſtola revera ab ipſo & ſine fraude emanavit? dicit Concilium: *juſto ordine*, id eſt, ſecundum leges puniendum, & dum dicitur, juxta *legem Romanam*, Febronius vult, eam minime *legem Pontificiam* eſſe; ſed perperam atque ridicule. Cur Concilium ad legem Romanam civilem appellet, ab Epiſcopo exequendam? cur Pontifex definiat, quid tali lege Romana ſtatuatur? Concilium eam legem Romanam vocavit, quam ipſe Pontifex Romanus, vel anteriores Conſtitutiones Apoſtolicæ contra tales falſarios vel ſtatuet, vel jam ſtatuerunt.

Ad 10. *&* 11. Quid huc pertinent conieċturæ, atque hiſtoriolæ? quid intereſt, quo animo Felinus illam propoſitionem ediderit? ſi verba eius attendantur, potius ex vindiċta & odio erga Venetos, vel Studio Patriæ, quam ut Anonymus arguit, ex adulatione & ſpe Cardinalitiæ dignitatis iſta protulit; ſic enim aperte habet: *quod laici teneantur ſervare ſtatuta Papæ & leges ſuper pace: quod allegavi contra Venetos, non timentes Papam, coram quo conveniebantur à tota Italia tanquam fraċtores Pacis, quando Patriam meam obſidebant rabie Barbarica.* Dein nec ea materia, de qua à Venetis conſulti reſpondebant Leguli, huc pertinet, utpote in cauſa Belli & mere laica, prout ipſi reſponderunt, *humanam eſſe rationem, & naturam hic legem dicere.* Quid iſta cum reſiſtentia erga legitimam poteſtatem Eccleſiaſticum commune habent? ad Canones veros dum iterum provocat Febronius, etiam horum rationem habeat, tales per decurſum in noſtra cauſa plurimos adduximus, tam claros, ut Commentariis non indigeant, atque in unum colleċti falſitatem Syſtematis Febroniani & aliorum

Pſeu-

Pſeudo-Theologorum & Canoniſtarum publice & convinciter demonſtrent. Illius Canones ad rem, & cauſam, de qua agitur, vel inepti ſunt, vel truncati, vel alium ſenſum habent, aut omnino contrarium probant, & ideo utique falſa explicatione & Commentariis indigent, ut falſitati patrocinari videantur.

Canonem 57. S. Gregorii M. lubenter amplectimur; hic enim contra omnes Superiores non modo Eccleſiaſticos, ſed etiam Laicos valet, qui nimiam ſibi in omnibus ſubjectionem poſtulant, præcipue ubi tanta hoc ævo ſentiendi, credendi, dicendi, loquendi libertas publice conceditur; econtra tantis inſolentiis, quæ inde emanant, obviandi facultas, inſuper intellectus humanus & intima conſcientia in recte ſentiendo & docendo exitioſâ Politiâ legeque in multis conſtringitur.

§. X.

§. X.

Poſtremum Remedium Appellatio ab abuſu.

Remedium *Appellationis tanquam ab abuſu* in Gallia quotidianum, optimo jure ubique uſurpandum venit. juxta Andream Duvallium *Tract. de ſuprem. R. Pontif. in Eccleſ. poteſt. Part.* 2. *q. ult.* genuinum harum appellationum fundamentum eſt, dum Principis Authoritas imploratur adverſus exceſſum & abuſum Eccleſiaſticæ Poteſtatis, & efficax Remedium eſt *ad depellendum graves iniurias Principibus à Romana Curia illatas.* Aliam appellandi tanquam ab abuſu cauſam ſuppeditat Juſtinianus Imperator Novella 137. Cap. 1. ſcilicet *violatio ſacrorum Canonum.* Hoc jure ſemper uſi ſunt Principes in negotiis Eccleſiaſticis. Vid. Can. Concil. Pariſiens. de anno 829. ita docet de Marca de C. S. & J. Lib. 4. Cap. 2. probatque exemplo Athanaſii appellantis ad Imp. Conſtantinum. Sic contra *novi Juris* executionem appellabant Epiſcopi, ut conſtat ex Epiſtola Caroli Calvi, vel potius Hincmari Rhemenſis contra Hadrianum P., qui cauſam Hincmari

Lau-

Laudunenſis contra Canones Romam trahere, & *ibi* judicare volebat: item ex alia Epiſtola, ubi Carolus quæritur de Romana Curia, quod Presbyteros ab Epiſcopis damnatos *Romæ* abſolveret, & Epiſcopos ipſos, vel eorum Vicarios *Romam* evocaret contra Canones Nicænos, Antiochenos, Carthaginenſes.

1. & 2. *Appellationes tanquam ab abuſu*, & quod executio legum Eccleſiaſticarum recte à Principibus, & Regiâ publici Status tutelâ procurari debeat, & econtra Eccleſiaſtici Præſules, ſi quid contra Canonicæ diſciplinæ nervum moliantur, vel partes profani Imperii uſurpent, cohiberi, & intra ſuas metas revocari poſſint, probat Author ex Petro de Marca L. c. lib. 7. n. 1. & Chopino de ſacra Polit. L. 2. tit. 3. addens illud Leonis IV. ad Ludovicum Imp. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac veſtrorum miſſorum cuncta volumus emendare iudicio.*

3. Remedio de abuſu non ſola utitur Gallia, ſed & Hiſpania, Sabaudia, Germa-

 nia,

nia, Belgium, Polonia, & olim Anglia. Vid. Fevret tract. de abuſu L. 1. Cap. 3. In Germania de abuſu cognoſcit Conſilium Imperiale Aulicum, & cum effectu ſtatuit, item leges Imperii publicæ diſponunt, uti Receſſus Imperii, Ordinatio Cameralis, Capitulatio Cæſarea, & conſtans ac notoria Imperii obſervantia confirmat. Exempla vult inſpici Author apud Pfeffinger, van Eſpen, Barthel.

4. Numerus caſuum, quibus abuſus committi poſſunt, determinari nequit. Generalis Regula eſt; quidquid agitur contra intereſſe aut Statum ac tranquillitatem publicam, contra Leges Regni, adverſus Decreta ſacrorum Canonum & Conciliorum, abuſivum eſt. Vere ſcripſit quidam JCtus: *ab his fontibus dimanant infiniti propemodum abuſuum rivuli. -- -- -- Ab hoc trunco innumeri ſurculi, ut non ſit illâ ſylva cædua feracior, nec ſeges ulla copioſior, quam abuſuum iſtud ſurcularium & ſeminarium.*

5. Abuſus quidem *notorius* & *manifeſtus* eſſe debet: in dubio enim Eccleſiaſticis Judicibus cauſæ cognitio relinquitur. Conveniat

niat Rex cum Epiſcopis, & ſtatuat, quinam ſint genuini & antiqui Canones, & illud *manifeſtum* abuſus facile invenietur, & ſtatuetur.

6. Has appellationes non præcludunt cuiuscunque temporis lapſus, privatorum acta, transactiones, ſententiæ judiciales, quia intereſſe publicum concernunt. Ita Chopinus, Fevret, Molinæus.

7. Ad Remedia hactenus recenſita pertinent etiam *occaſiones opportunè arreptæ.* Dum tempore magni Schiſmatis in Gallia ſubtractio obedientiæ decerneretur, inquiunt cordatiores Galli, potuiſſent pro omnibus futuris temporibus etiam Annatæ, Reſervationes, Exſpectativæ, Præventiones, exemptiones &c. Pontifici negari. Male factùm, & ignorantiæ illius ſæculi tribuendum, quod ſimplicem horum jurium ſuſpenſionem Gallia tunc decrevit.

Nota.

Peto præprimis, quandonam *appellatio ab abuſu* in Eccleſia invaluit? cui antiquo &

ſius poſthæc nihilominus Romam ad Pontificem in hac cauſa appellavit? cur ipſe docuit, quod Imperator negotiis & cauſis Eccleſiaſticorum ſe non debeat immiſcere, uti ſupra §. 6. vidimus? quin nec Concilium Tyrium legitimum agnovit Athanaſius hoc ipſo, quod eidem per Comitem præſideret Imperator; ſic enim Conciliabulo exprobravit: *Si iſtud judicium Epiſcoporum, quid cum eo commune habet Imperator?*

An fors ignorant Zelatores eximii, *antiquis Canonibus* Perſonis eccleſiaſticis ad judicia Sæcularia, etiam Imperatoris, transvolare & appellare interdictum fuiſſe etiam ſub pæna depoſitionis, atque ne poſt judicium Epiſcoporum cauſæ eccleſiaſticorum ad Tribunal Principis deferrentur? ex Synodis Antiochena & Sardicenſi conſtat, in Provinciali Synodo damnatos ad numeroſius Epiſcoporum Concilium, vel ad Rom. Pontificem potuiſſe provocare, ſimulque vetitum fuiſſe, ne querelæ ad Imperatorem deferantur. Concilium Milevitanum Can. 10. ſtatuit: *placuit, ut quicunque Clericus ab Imperatore cognitionem*

 publi-

publicorum judiciorum petierit, *honore proprio privetur*. Similiter Concilium Carthaginenſe III. Anno 391. En in hoc puncto veterem diſciplinam priorum ſæculorum!

Sed & Carolus M. hanc, diſciplinam ſuis Capitularibus inſeruit: Lib. 1. Cap. 38. dicitur, ſolum Epiſcopum de Clericorum delictis poſſe cognoſcere. Lib. 5. Cap. 225. & 237. & Lib. 6. Cap. 125. ſancitur, Clericorum crimina, ſive *Civilia* fuerint, ſive *Canonica*, ad Epiſcopi tribunal deferenda eſſe. Lib. 7. Cap. 107. nec laico licere Clericum in ſæculari judicio accuſare, Lib. 5. Cap. 179. ita loquitur Carolus M.: *placuit ut Monarchi & Presbyteri, nec non & Clerici, qui poſtpoſita canonica Authoritate paſſim Palatium adeunt, & noſtris ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferunt, ut non hoc facere præſummant, quoniam huiusmodi facto & vigor Eccleſiæ contemnitur, & Religio Sacerdotalis & Profeſſio Monaſtica vilior efficitur.* Ultima verba & ratio, quam dat Imperator, notari merentur.

Donatiſtæ ad Conſtantinum Imp. tanquam ab abuſu appellarunt, cauſantes, non recte iudicatum fuiſſe à Papa & Epiſcopis.

num

num recte, & iuxta Canones id fecerunt? nequaquam. Hinc D. Auguſtinus Epiſt. 95. Donatiſtas ita alloquitur: *Scitote, quod primi Majores veſtri cauſam Cæciliani ad Conſtantinum Imperatorem detulerunt. -- -- -- ſed quia non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam ac finiendam Epiſcopis delegavit.* Et Epiſt. 43. *neque enim eſt auſus Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederent, ipſe iudicaret, ſed alios, ut dixi, Epiſcopos dedit.* Quin ipſe Conſtantinus hanc appellationem reprobavit ut illegitimam Epiſt. ad Patres Arelatenſes: *meum judicium expoſtulant, qui ipſe iudicum Chriſti exſpecto: -- -- -- quid igitur ſentiunt maligni homines officia diaboli? perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Ludovicus du Mesnil Lib. 9. de doctr. & diſcipl. num. 51. in hunc locum ita diſcurrit: *qui Religionis cauſas ad Magiſtratus Civiles pertinere putant, atque ad eos à judiciis eccleſiaſticis provocare licitum eſſe, Conſtantinique exemplo ſuam opinio-*

nem tuentur, *hac eius Epiſtola revincuntur. Perſpicue in ea profitetur*, *ut ſe veritas habet*, *ſacerdotum judicium ita debet haberi*, *ac ſi Dominus Reſidens iudicet: eorum cœleſte judicium non niſi perverſiſſime per appellationem infirmandum deſertur ſæcularibus.* Ex quibus omnibus clare conſtat, appellationem illam ab abuſu & ad Tribunal ſæculare non modo noviſſimam eſſe, ſed & veteri diſciplinæ, atque Canonibus adverſari. Novam eſſe fatetur ipſe Fleurius Inſtit. Jur. Eccles. Part. 3. Cap. 24. n. 2. *huius Proceſſus*, *qui Franciæ proprius eſt*, *veſtigia ſæculo XIV. ineunte in Durandi Mimatenſis Epiſcopi querelis de Sæcularibus Judicibus*, *extantiora autem Sæculo XV. medio offendimus. Tum enim hoc appellationum genus invaluit ad reprimenda ea quæ contra Pragmaticam*, *poſteaque contra concordatum auderent Eccleſiaſtici.* Tenes hic originem & cauſam in ipſa Gallia, ubi primum incepit hæc appellatio; absque fundamento igitur, & falſo à Febronio dicitur, *hoc jure appellationis ſemper uſos fuiſſe Principes in negotiis eccleſiaſticis*, *ex quo Eccleſia in Imperio eſſe cœpit*. Nec in Novella Juſtiniani ſimile quid invenitur: aliud enim eſt, cauſas

&

& judicia Eccleſiaſtica per viam appellationis in ſuo tribunali decidere, & aliud ab Eccleſiaſticis Judicibus iam deciſas, item ſtatuta & Canones ſuo patrocinio iuvare, ut executioni mandentur, obſerventurque. Hoc ultimum in Novella dicitur, prius neutiquam prætenditur. Pariter Concilium Pariſienſe IV. ſub Ludovico Pio aperte fatetur, Poteſtatem Rom. Pontificis in Eccleſia, ſicut Regis in Imperio ſummam ac ſupremam eſſe, collapſæ vero diſciplinæ eccleſiaſticæ cauſam eſſe, *quod Principalis poteſtas in cauſas eccleſiaſticas proſilierit.*

Quod tandem ex Hincmaro Rhemenſi affert Febronius, vellem ego eum meminiſſe, quod alibi hanc oppoſitionem Hincmari cum plauſu adduxerit contra appellationes Romanas, ut inde probaret, appellationes ad Sedem Romanam illegitimas eſſe: hic vero fateri cogitur, non ipſas appellationes, ſed modum, quod cauſæ *Romam* trahantur, & *ibi* à Papa, non vero in Provinciis judicentur, ab Hincmaro impugnari, quod ex citatis Epiſtolis elucet. Porro Carolus Cal-

vus ad inſtantiam Hincmari in allegatis à Febronio cauſis ſuum calculum addidit, non ut ipſe appellationes de his ſibi vindicet, ſi abuſus intervenerit, ſed ut illum ſuo Patrocinio juvet. Quin idem Hincmarus Rhemenſis, cum Regii Judices diem dixerunt Hincmaro Laudunenſi, & obedire recuſantis res occupaſſent, ad Carolum Calvum ſcripſit, ab illis peccatum fuiſſe in S. Scripturam, in ſacros Canones, in Imperatorias Conſtitutiones & Caroli M. Capitularia; & dum poſtea ipſe Laudunenſis à Judicio eccleſiaſtico ad Judices ſæculares tanquam de abuſu Poteſtatis appellare vellet, Rhemenſis eidem ſcripſit: *non licet tibi poſtpoſito vel contempto judicio Eccleſiaſtico ad judicia ſæcularia convolare.*

Nihilominus his etiam ſtantibus *appellationem tanquam ab abuſu* ex toto non reſpuimus, ſi juſtos intra fines modumque contineatur; quippe ſuperius dicta illis tantummodo opponimus, qui vetera ſemper inclamant, ipſique ſimul noviſſima ſtatuunt. Vidimus ſupra ex Fleurio, hanc appellationem tempore

Durandi

Durandi cæpiſſe contra *ſæculares Judices*, qui jam Jurisdictionem eccleſiaſticam nimium turbabant, dein hoc medium appellationis etiam contra Eccleſiaſticos uſurpatum fuiſſe erectis Sanctione pragmatica & Concordatis. In hoc caſu appellationem ab uſu, utpote in Pactis bilateralibus: item in cauſis mixti fori, etiam valere non negamus; etenim definiente Fleurio L. c. appellatio tanquam ab abuſu *eſt querela de Judice Eccleſiaſtico, tanquam ſuæ poteſtis limites egreſſo, vel aliquid contra jurisdictionem ſæcularem, aut generatim adverſus Libertatis gallicanas auſo.* Fundatur ergo hæc appellatio in incompetentia Judicis vel fori, ſic ut cauſa vel ad forum ſaltem privative non pertineat, vel Judex Poteſtate careat, quis autem negat, illam in proprio ſuo foro judicari, vel reum contra illegitimum Judicem defendi poſſe? per hoc autem nec in minimo Poteſtati eccleſiaſticæ ſubtrahitur, vel præjudicatur.

Rectus uſus & objectum hujus *appellationis ab uſu* juxta ſuperius teſtimonium ipſius Fleurii tunc obtinet, quando cauſa ex ordi-

ne

ne Jurisdictionis eccleſiaſticæ eximitur, ad forum ſæculare pertinet, Judex eccleſiaſticus incompetens eſt ratione materiæ aut defectu Poteſtatis in cauſam & Perſonam, item in Pactis publicis & Concordatis, Privilegiis & conſuetudinibus receptis vel approbatis totius alicujus Provinciæ & Regni; nam Pactis & Concordatis ab utraque parte ſtabilitis ab una parte contraveniri non poteſt citra conſenſum alterius partis; Privilegiis autem & laudabilis conſuetudinibus Pontifex & Judex eccleſiaſticus derogare non præſumitur abſque neceſſitate boni communis Eccleſiæ.

Econtra ſicut ſupra *de Placeto Regio* diximus, ita etiam in *appellatione ab abuſu* veri *abuſus* intervenire poſſunt: ſi nempe à materia & cauſa vere eccleſiaſtica, quæ proprie ad forum eccleſiaſticum pertinet, appellatur: ſi in materia mixta Judex eccleſiaſticus excludatur: ſi à gravamine abs Judice eccleſiaſtico illato in cauſa eccleſiaſtica querela ad Tribunal Laicum, & non ad ſuperius eccleſiaſticum deferatur: ſi in cauſis *levioribus* appelletur, vel etiam in *majoribus* abuſus non ſit *notorius* & *mani-*

manifeſtus; nam ut ait Fleurius L. c. *Principio hæc appellatio ſemper appellabatur appellatio tanquam ab abuſu notorio; conveniunt enim omnes, abuſum ſupponi notorium, & hoc remedium eſſe extraordinarium, non niſi urgente neceſſitate & Reipublicæ bono adhibendum. — — In praxi tamen ab his regulis declinant, ſæpe numero in cauſis levioribus, Cleri querelis, & regio juſſu poſthabitis. hujus generis appellationes interponentes.* Verus igitur abuſus eſt, appellare *in cauſis levioribus*, vel quando abuſus non eſt *notorius*, aut *urgens neceſſitas.* Denique abuſus eſt, ſi Poteſtas ſæcularis ad ſe vel ad ſuum forum per novam legem traheret aliquam materiam vel cauſam, quæ ad forum eccleſiaſticum pertinet, aut hactenus pertinuit, vel cauſam eccleſiaſticam per talem adpellationem ad ſe delatam judicare vellet, uti ſupra de Placeto Regio dixi; nam tunc abuſus, exceſſus Poteſtatis, & incompetentia Judicis potius ex parte Poteſtatis ſæcularis eſſet, idque probant omnes mox ſuperius adducti Canones, leges & teſtimonia.

Falſam

Falſam proin, primis Chriſtianis ſæculis inauditam, imo antiquis Canonibus contrariam ſtatuit regulam Febronius, dum ait: *conveniat Rex cum Epiſcopis Regni ſui, ſtatuatque qui antiqui & genuini Canones ſint.* Ad Regem non pertinet Canones ſtatuere, nec quinam genuini & obſervandi ſint, determinare; Principis eſt, ſtatutos & receptos in Eccleſia Canones executioni dare: ac curare, ut obſerventur, ſive dein veteres, ſive novi ſint, quia Eccleſia jus habet novos Canones ſtatuendi, veteres abrogandi, mutandi, præcipue in materia diſciplinæ.

Neque veteres Imperatores ſolum veterum Canonum defenſionem & cuſtodiam, ſed etiam novorum, qui ſuis ſucceſſive temporibus emanabant, in ſe ſuſcipiebant. Qui dicit, diſciplinam in Eccleſia mutari non potuiſſe, nec Veteres Canones variari, abrogari, novos vero condi non poſſe, ipſi catholicæ doctrinæ veteris Eccleſiæ & praxi repugnat. Neque Epiſcoporum unius Regni eſt, pro libitu Canones determinare, hos recipere, illos rejicere, & à diſciplina univerſa-

verſaliter recepta recedere; hi enim ſupra Canones non ſunt, neque in Eccleſia novum quid moliri poſſunt; ſecus qualis confuſio & difformitas oriretur? facile omnia in Anarchiam reciderent.

Tandem quod dixi *de Placito Regio* etiam *appellatio ab abuſu* reciproca eſſe debet, ſcilicet à Poteſtate ſæculari ad Poteſtatem eccleſiaſticam. Idipſum docet Fleurius l. c. *hæc appellatio cum reciproca eſſe debeat, eadem utilis foret adverſus Judices ſæculares, licet hoc rariſſime fieri ſoleat.* Utrobique enim par jus & ratio eſt, & qui diceret, Judicem ſæcularem nunquam limites ſuæ poteſtatis exceſſiſſe, nec defacto excedere, aut cauſam incompetenter ad ſuum forum trahere, ille profecto non tantum oculis, ſed & capite caret.

§. XI.

Eccleſiæ omnino intereſt, Primatum ſervari, ſed ad legitimos fines redactum. Hæc reductio aliter fit per Papam, aliter per Concilia.

Eccleſia tanquam Corpus capite eget, quo dirigatur: omne Collegium, omnis

Reſ-

Reſpublica ordinata eget communi Cancel-laria pro negotiis ſuo Corpori, ſuo ſtatui pro-priis: tolle hoc commune Eccleſiæ prætorium, & ſimul auferes medium, quo diſperſæ per orbem Eccleſiæ inter ſe conferant, nec multo poſt omnia in Anarchiam delabentur. Leibnizius in Præfat. ad Cod. J. G. diplomat. fatetur, authoritatem Rom. Pontificis, ambitionem Principum per cenſuras reprimentis, ſæpe ad præveniendum malum profuiſſe, ſed *his Cleri attentatis factum eſſe, ut poſtremo, quia nimia affectabant, etiam juſta ammitterent, quæ retinere ipſos è re chriſtiana fuiſſent.*

Primatus igitur omni ſtudio in Eccleſia ſervandns eſt, ſancteque colendus: Petrus de Marca omnium Gallorum nomine ait, *præcipuum, primumque libertatis eccleſiaſticæ fundamentum apud illos hoc eſſe, ut Principatus Apoſtolicæ Sedis ſuum locum ſemper obtineat.* Hoc apud omnes Catholicos certum eſt; ſed non præque conſtat, de genuinis partibus, propriis naturalibusque attributis huius Sacri Principatus.

Tho-

Thomaſſinus Part. 4. L. 1. Cap. 1. n. 19. ait : *hoc habeo: quamvis dici non poſſit , omnes iſtas facultates , quæ non niſi poſt multa ſæcula apparuerunt , eſſe proprie & immediate à jure divino ; negari nihilominus non poteſt , eas convenire optime Primatui in Jure divino immediate fundato.* Verum hic Thomaſſino Febronius non aſſentitur, quia his facultatibus Evangelica à Chriſto inſtituta æconomia , diſciplina Eccleſiaſtica , Conciliorum Generalium ſtatuta, judiciorum leges Epiſcoporum jura evertuntur &c.

1. Si Congregatio *de propaganda fide* à Gregorio XV. inſtituta ſerio & cum fructu laudabili ſuo fini adlaborare, in id intenderet, ut exorbitans illa & Eccleſiaſticæ diſciplinæ noxia poteſtas, ſalvo Primatu, minus redderetur odioſa Acatholicis, ſuſpecta infidelibus.

2. Unionis & Pacis cauſa poſſent aliqua ſupererogatoria Poteſtatis Capita primæ Sedi permitti, ſed non omnibus prætenſionibus ſubſcribendum, nec omnes conatus probandi : vix aut nequaquam tolerandæ Re-

gum & Epiſcoporum degradationes : non proijciendi primæ Eccleſiæ uſus & Canones : non credendum, quod poſſeſſio juris Monarchici tribuerit, vel Romani præſcripſerint jura de ſe impræſcriptibilia, ut non liceat ſerius de eorum recuperatione cogitare. Scribit S. Cyprianus Epiſt. 54. ad Maximum : *nam etſi videatur in Eccleſia eſſe Zizania, non tamen impediri debet aut Fides aut Charitas noſtra, ut quoniam Zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.*

3. Citat Joan. Caſpar. Barthelii Diſſert. *de eo, quod circa libertatem Religionis ex lege divina juſtum eſt.* Cap. 8. n. 28. ubi ait : ſemper vitia, peccata, abuſus, ſuperſtitiones, Authoritatis utut legitimæ exceſſus, oppreſſiones, calumnias in Eccleſia fore vitio hominum, ſacris abutentiam, & deſidià quorumdam Paſtorum Chriſtiani gregis; ſed hæc non officere ſanctitati & doctrinæ Eccleſiæ, nec juſtam Schismatis aut Defectionis anſam præbere : vitia hæc ſingularia & peccantibus propria non afficere totum Corpus Eccleſiæ : praxes inſuper, quas viri deſideriorum & gemituum non invectas optarent,

cordate, intrepide, non minus tamen modeſte reprehendunt, ſemper hominum ſuis infirmitatibus circumdatorum habitas eſſe, ſtylum Curiæ, non jus aut Canonem efficere, multa emendata jam fuiſſe, nullum Theologum hactenus voluntatem Pontificis vel officialium impeccabilem aut indefectibilem aſſerere.

4. Adſtipulatur D. Bernardus Lib. de Conſid. Cap. 9., qui Eugenio Papæ, ut ſervatis veterum Pontificum exemplis, juniorum errata *paulatim* corrigat; ne in ſuggillationem eorum vero videatur agere, hunc modum tradit: *nec potes eorum omnia ſimul & ſubito vel errata corrigere, vel exceſſus redigere in modum. Erit, cum acceperis tempus, ut ſecundum ſapientiam tibi à Deo datam, paulatim & opportune id ſtudeas. Interim ſane malo alterius utere in bonum, quod potes.* Sic in reformando feriò & cordate procedet, *Pontifex* in *Conciliis* vero negotium reformationis ſimul & ſemel abſolvendum eſt.

5. Pro Coronide ſubjungitur oratio Joannis Gerſon Conſtantiæ habita 23. Martii

anno 1414. apud Van de Hardt tom. 2. part. 10. pag. 272. *Eccleſia vel Generale Concilium, quamvis non poſſit tollere plenitudinem Poteſtatis Papalis, à Chriſto ſupernaturaliter & miſericorditer collatæ, poteſt tamen uſum ejus limitare ſub certis regulis & legibus, in ædificationem Eccleſiæ, propter quam Papalis authoritas & alterius hominis collata eſt. Et in hoc eſt totius Eccleſiaſticæ reformationis ſtabile fundamentum.* Ut hinc invidia arceatur, utique & Patriam poteſtatem legibus coercere oportuit.

6. Demum ſic Opus ſuum claudit Author: Regibus & Principibus Sæculi, Pontificibus & Prælatis Eccleſiæ timorem, honorem, reverentiam deberi ſcio, ſed maiorem veritati. Nec illa Reverentia eſt, publicas, noxiasque morum labes probroſa adulandi abiectione ac cœcitate tegere, ſed potius Chriſtiana pietate patefacere, & modeſtiâ redarguere. Utrumque exhibui, quantum Deo adiuvante potui, & niſi me fallit opinio, quantum debui: ſi quid durius forſan mihi exci-

exciderit, vel potius alicui viſum fuerit, in facta, non in Perſonas iactum eſt.

Nota.

Eccleſia Corpus eſt: igitur Capite eget, quo dirigatur? bene eſt. At Febronius tale Caput conſtituit, non quo corpus dirigatur, ſed quod ab ipſo corpore dirigitur, atque ipſe influxus, quem in corpus habet, ab iſto regulatur, hebetatur, dirigitur. Admittit neceſſariam Cancellariam & commune Eccleſiæ Prætorium penes Papam; ſed illam omnibus modis proſcindit, infamat authoritateque deſtituit, dicit utique & ipſam, & eius Officiales malos eſſe: ſi hoc licet, ſi iſta ratio prævaleat, nunquam prætextus deerit, cuivis Curiæ ſuam Authoritatem, & efficaciam detrahendi, ac contemnendi, cum nulla, præcipue ubi maiora & copioſiora negotia confluunt, & plures eſſe debent officiales, vitiis ac nævis careat. Sed qualiter tum omni Reipublicæ proviſum erit?

Leibnizium allegat: ſed à viro iſto Acatholico & modeſtiam & veritatem ſaltem in

hoc diſcat Febronius: ille ait, cenſuras Rom. Pontificis contra Ambitionem Principum ſæpe profuiſſe: hic econtra docet, illa fulmina omnino non toleranda, nec metuenda eſſe, & noſtris temporibus, quod amplius eſt, prætenditur, nec minimum Subditum absque præſcitu & conſenſu ſui Principis excommunicari poſſe, quaſi poteſtas ligandi & ſolvendi non Petro, non Apoſtolis præciſe, ſed in manibus Principum repoſita fuiſſet, vel ſaltem huius uſus ab his dependeat. Vah! egregios inſtituti Chriſti & veteris diſciplinæ Zelatores. Videant Epiſcopi, utrum per hos in primigenia ſua jura reſtituantur, vel magis iſta ſibi ab his auferantur?

Leibnizius ait, Clerum *iuſta* amiſiſſe, *quæ retinere ipſos è re Chriſtiana fuiſſet.* Quænam ſunt autem illa *iuſta*? utique non alia, quam immunitas, exemptio, & independentia ab omni Poteſtate Sæculari in iis, quæ ad fidem, Religionem & diſciplinam Eccleſiæ pertinent: ſed Febronius & moderni Pſeudo-Doctores omnia, quæ ad exteriorem Religionem ac diſciplinam attinent, Sæculari

ri Poteſtati vel penitus ſubiiciunt, vel ſaltem ab ea dependere volunt. Ipſi Epiſcopi ſub prætextu remeandi ad ſua jura primigenia Primatui divino ſubtrahuntur, vincula unionis diſſolvuntur, vix nexus imaginarius ſine vigore, ſine iuſto influxu reliuquitur; interim fiunt Aularum Epiſcopi; inde ordinationes, mandata recipiunt, ſua jura vetera & noviter recuperata, quæ ei divinitus competere dicuntur, iamiam quaſi Poteſtati Sæculari ſubordinata precario exercere, & alienæ Poteſtati ſervire coguntur.

Recte ait Petrus de Marca cum omnibus Gallis, præcipuum fundamentum Libertatis Eccleſiaſticæ conſiſtere in Primatu Apoſtolicæ Sedis. Libertas Eccleſiaſtica conſiſtit in immunitate ab omni jugo alienæ Poteſtatis circa ea, quæ Religionem, Bonum Ordinem & Regimem Eccleſiæ attinent: ut Bonum Eccleſiæ communiter ac univerſaliter ubivis promoveatur, teneaturque, omnia membra, & inprimis præcipua ac execellentiora conſpirare debent in uno tanquam in Centro, radice ac fonte, qui eſt Primatus à Deo conſtitu-

tus: tolle hunc; & mox unitas, ipſaque Eccleſia corruet. Hoc fatetur ipſe Febronius, & tamen ſua Doctrina Primatum ita dilacerat, ſpoliat, ſuoque vigore privat, ut Libertatis Eccleſiaſticæ ſuſtinendæ, vel vindicandæ, & unionis conſervandæ amplius impar exiſtat.

Non placet adverſario Thomaſſini Doctrina de attributis Romani Primatus: at Thomaſſinus doctiſſimus nihil ignoravit, nihil non vidit, imo melius & plura vidit in nova & veteri Diſciplina, quam Febronius. Vidit, collegit omnia Thomaſſinus, & tamen non credidit, Evangelicam à Chriſto inſtitutam æconomiam, Diſciplinam, Canones, jura, leges &c. everti.

Febronius eruditiores vocat, qui ſecum ſentiunt; ſed hi eruditiores fors tam eruditi ſunt, ut neſciant, in Evangelio nullam futuræ Eccleſiæ quoad omnia puncta à Chriſto inſtitutam æconomiam & Diſciplinam fuiſſe, ſed primum ab Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum, à Pontificibus, à Conciliis ordinatam, auctam, limitatam, quandoque varia-

variatam fuiſſe, quin & variabilem eſſe? fors neſciunt, quidquid Poteſtatis Apoſtolis à Chriſto collatum fuit, etiam Petro, & quidem ſingularius, principaliter atque in univerſam Eccleſiam datum fuiſſe, quando ipſe fundamentum Eccleſiæ conſtitutus, omnes & ſingulæ oves eidem, ne exceptis quidem Epiſcopis, ad paſcendum commiſſæ ſunt? fors neſciunt, iam ab initio Eccleſiæ non cuivis Epiſcopo in alium, nec circa æconomiam & diſciplinam Eccleſiæ in re momenti tantum poteſtatis competiiſſe, ut quivis pro libitu ea ordinare ac ſtatuere potuerit, ſed ad hæc tractanda plures in unum convenire debuiſſe, neque hos ſimul authoritatem habuiſſe, niſi ſub Primate aut Patriarcha, qui ipſis præſideret; quin nec tum iſta prorſus indefectibilia & irretractabilia fuiſſe; pariter multa his Primatibus & Patriarchis *humanitus* ſolum inſtitutis per legem Eccleſiaſticam tantummodo competiiſſe; & Primati univerſali *Divinitus* inſtituto hæc omnia non conveniant, quæ ſingulis Epiſcopis per ſe nulla lege, pluribus ſimul non niſi ſub præſidio & Authoritate Primatis vel Patriarchæ,

 his

his omnibus ſola lege poſitiva Eccleſiaſtica conveniunt? hæc ut evincas, oſtendere debes, maiorem *ab Eccleſia* Primatibus, Patriarchis, & Epiſcopis in Conciliis particularibus congregatis, quam Petro & eius ſucceſſoribus *à Chriſto* poteſtatem collatam fuiſſe; ſed num Eccleſia maiorem dare poteſt, quam ipſe Chriſtus? & ſi hic minorem dedit Petro, in quem finem? cur non ipſe maiorem dedit Epiſcopis, Primatibus, Patriarchis, ſi hæc fuit neceſſaria pro bono & ordine Eccleſiæ? cur Eccleſia ſibi ipſi de hac poteſtate providere debuit? ſed quis neget, maius eſſe, quod Deus dedit, quam quod dat, vel dare poteſt Eccleſia? hinc vere dixit Thomaſſinus, *omnes facultates* etiam poſt multa Sæcula apparentes *optime convenire Primatui in Jure divino immediate fundato;* quinimo eidem neceſſario adhærent, quamvis easdem neceſſario & ubivis ſemper exercere non poſſit, nec debeat.

Ad 1. Poteſtas Rom. Pontificis à nobis aſſerta non eſt exorbitans, neque odioſa, neque ſuſpecta eſſe poteſt, ſi abſint abuſus atque exceſſus,

ſus, ſed hos non docet *Congregatio de propaganda fide*, nec alii genuini Scriptores: qui vero docent, audiendi non ſunt. Attamen Febronius cum Acatholicis & Neotericis continuo illos oſtentant, aggravant, inculcant, ut eam poteſtatem odioſam atque ſuſpectam reddant.

Ad 2. Si Febronius poſtulat, nunquam tolerandas eſſe Epiſcoporum depoſitiones, nullos Canones antiquandos, primæ Eccleſiæ doctrinæ & diſciplinæ contradicit: illa multoties ſtatuit, & caſus expreſſit, in quibus Epiſcopi ſint deponendi, & depoſitos fuiſſe, exemplis conſtat innumeris. Canones in cauſa lapſorum variati, in cauſa pænitentiæ publicæ antiquati ſunt, hos nec Febronius, nec alibi illi ſimiles revocari optabunt. Reges Catholici cum defenſores & advocati Eccleſiæ habiti ſint, ſi dein Tyranni, perſecutores, vel oppreſſores Eccleſiæ eſſe inceperunt, quis neget, eos ab Eccleſia tanquam defenſores & advocatos amplius agnoſci non poſſe? ſi poſtea apud Principes & ſtatus Regni ſive perſuaſio, ſive pactum aut jus fuit;

ut

ut eum Regem non agnoſcerent, qui Eccleſiæ defenſor non eſſet, cum id etiam juramento promittere debuiſſet, quid facinus ſoli Papæ exprobrat Febronius, quod Pactum commune fuit inter neo-electum Regem, Papam atque Principes? Jus Monarchicum quale ſit in Rom. Pontifice, & quouſque ſe extendat, ſæpe diximus; pariter jura, quæ eidem vindicamus, non præſcripta, ſed nec impræſcriptibilia ſunt, ſed eidem per ſe inhærent.

Ad 3. Modeſtiam atque veritatem à Barthelio ediſcat Febronius, & ipſi applaudemus. Barthelius cum eo nihil commune habet, imo à ſua doctrina omnino alienus eſt; inprimis enim non loquitur de ſolo Pontifice & romana Curia, ſed in genere de omnibus Eccleſiæ Miniſtris & Vicariis: Febronius de ſolo Papa & Curia: ille ait, vitia ſingularia eſſe, hominibus propria, nihil officere ſanctitati & doctrinæ Eccleſiæ, nec juſtam Schismatis & defectionis anſam præbere: hic ait, jamiam obfuiſſe, doctrinam corrupiſſe, defectioni anſam præbuiſſe, & reunio-

unioni adhuc impedimentum præſtare, & quidem *anſam juſtam*, quia modo vult, potius omnia illa tollenda eſſe, & his non ſublatis vere impedimentum reunionis, ſicut prius anſam defectionis ſubſiſtere. Ille docet ibidem loc. cit.: (quod omiſit Febronius) *Deus certe imperfectis etiam, atque indignis Vicariis ac Miniſtris ſuam authoritatem cum reverentia reſpici, obſervarique mandat juxta illud Math. 21, v. 2. ſuper Cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ &c.* Febronius authoritatem Pontificis & Curiæ ubique exoſam reddit, & contemptum inſpirat, non iis obediendum, ſed reſiſtendum eſſe docet. Ille dicit, etiam Praxes, quas multi non invectas eſſe optarent, nunquam in Canones Cathedræ Apoſtolicæ excreviſſe, nec ſpiritum Eccleſiæ alteraſſe: hic vult, quod nobis eæ pro Canonibus obtrudantur, ſpiritum Eccleſiæ & Inſtitutum Chriſti per novam diſciplinam alteratam fuiſſe: hanc doctrinam à Febronio multoties, & quidem in verbis tradi, nemo diffitebitur, quisquis ejus librum attente legerit. Denique notet ſibi Febronius verba, quæ Barthelius l. c. mox ante allegatum

tex-

textum protulit, ipſe autem referre abſtinuit; ſunt autem hæc: *Qui vero, non attentis tot illuſtribus ſanctitatis in Eccleſia Catholica exemplis, potius malunt in pravos aliorum Catholicorum, & ex ipſo Miniſterii ac Epiſcopatus ordine, imo ſummo Pontificatus vertice, improborum mores oculos ſuos conjicere: næ ii ſane livori magis, quam veritati ſe indulgere luculenter oſtendunt.* Quid Febronio, quid hujus aſſeclis aptius, quam iſta verba congruunt? Sed & ea Auguſtini lib. de morib. Eccles. Cap. 34., quæ Febronius hoc ipſo loco allegat, eidem cum ſuis plane conveniunt: *nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat.*

Ad 4. Bonum Bernardi Conſilium! ſic reformabit utique Pontifex; ſed non reformabit, ſi ei authoritas deſit, atque Poteſtas; hanc itaque eidem ineſſe cenſuit D. Bernardus. *In Conciliis* nempe Provincialibus reformabunt Epiſcopi ad Canones & diſciplinam jamiam receptam, & praxi Eccleſiæ firmatam: ſi vero ipſa diſciplina iam re-

cepta

cepta mutanda erit univerſaliter, hoc fiet *in Conciliis* Generalibus, attamen non ſine Pontifice ceu Capite Eccleſiæ.

Ad 5. Gerſon tam liberalis eſt, ut admittat *plenitudinem Poteſtatis* in Papa *à Chriſto ſupernaturaliter collatam*, quam negat Febronius: hanc ille dicit, *à Concilio Generali tolli non poſſe*, ſed ejus *uſum* limitari. Sed quidquid à Deo collatum eſt, nec in toto, nec in parte à Concilio vel Eccleſia auſſerri poteſt. Poteſtas vero propter uſum collata fuit, & qui dedit poteſtatem, dedit & facultatem ac jus utendi: ſi ergo & poteſtas & uſus à Chriſto deſcendit, Concilium nec hunc tollere, aut ſua authoritate de eo diſponere valebit; igitur perverſe ratiocinatur Gerſon: aliud eſt de abuſu: hunc Chriſtus non dedit, hunc limitare poterit Concilium. Porro ipſum Concilium Conſtantienſe, quamquam initio Bina Decreta conderet de reformatione Capitis & ſubjectione Papæ ad Concilium, cur, inquam, hoc Concilium reformationem Generalem, uti multi poſtulabant, non ſuſcepit ante electionem novi Papæ?

pro-

profecto hoc probat, non totum Concilium ita, ſicut Gerſon cum aliis, ſenſiſſe, ſecus i impediri non potuiſſet, proin illa Decreta vel contra ſolos Schiſmaticos Pontifices prolata fuiſſe, vel Concilium ſuo ipſo agendi modo probaſſe, illa Decreta nullam certam Authoritatem habere, & à toto Concilio calculum non obtinuiſſe.

Quod addit Febronius de Patria poteſtate, paritas non eſt. Poteſtas patria non eſt ſuprema, atque hæc non à filiis, ſed à legibus & Poteſtate, cui certo ſubiicitur Pater, coercita fuit. Deus & natura dedit Patri poteſtatem in filios, Principi autem in Patrem & filios. Quod vero Deus dederit poteſtatem Concilio in Caput & Primatem totius Eccleſiæ, hoc noſtra in quæſtione verſatur.

Ad 6. Si Febronius ſummis Pontificibus timorem, honorem, reverentiam, modeſtiam exhibuit, quantum potuit, & quantum debuit, minus mihi timendum erit, quin magis iniuriam mihi & multis aliis faceret, quisquis Notas meas vel alios Novi-

tatum

tatum refutatores de irreverentia, immodeſtia, lœſo honore erga Prælatos Eccleſiæ, Principes, Doctores, erga ipſum Febronium, & quoscunque alios carpere auſus fuerit; nam ſolo jure defenſionis ûtor, hoc autem ûti licet, imo contra tot, tantosque hoſtes neceſſe eſt. Si Febronii Liber tot Scommatis & criminationibus fere in omne, quidquid ſanctum ac venerandum eſt, refertus, nihilominus à Cenſura politica immunis evaſit; cur alius condemnetur, qui Primatum Divinum Pontificis, Sedem Apoſtolicam & ipſam Eccleſiam Catholicam à tot probris atque iniuriis defendit? utique cum Neotericis non ſentio, principia Politicorum non adopto; attamen veritatem ſequor; utrum hanc aſſecutus fuerim, argumenta, non Scurrilitates, quæ hoc tempore quotidianis in Scriptiunculis venales proſtant, monſtrare debebunt; & dum hodie tanta ſit & ſentiendi & ſcribendi libertas, nullis prope legibus reſtricta, quis mihi ſuccenſeat, vel prohibeat id ſentire, quod ego volo, & ſcribere, quod ſentio.

De cætero Febronius Opus ſuum inſigni falſo, vel (de quo vix excuſari poterit) mendacio claudit; nam eum duriora, quin & iniurioſa ac falſa non modo *in facta*, ſed & *in Perſonas* quoque ieciſſe, adeo ut factis ſemper nequicquam adplicari poſſint, nullus negare poterit, quiquis Opus ſuum pervolverit.

Multa adhuc de libertate Eccleſiæ, huiusque recuperandæ mediis, poſterioribus in tomis collegit Febronius, quæ tamen ultimato ad ea reducuntur, quæ binis his Capitibus tradidit, & ideo in Notis noſtris reſponſum iam tulêre: alia quidem recentiora facta, acta, dicta, & authoritates adſtruunt, quæ utique facta, acta, dicta ſunt, ideo tamen jus non probant, neque efficiunt: alia denique meram Politiam, Conſuetudines, jura, non Eccleſiæ, ſed Principatus Romani Civilis attinent; ſed iſta huc non pertinent, atque Febronius omnia frivole commiſcet, ac ſi omnes Prætenſiones Romanorum Primatui Divino adſcribantur. Quod ſi Rom. Pontifices Poſſeſſiones ſuas aut prætenſiones Civiles gladio ſpirituali defendere vel vindicare voluе-

luerunt, quæritur de iis, utrum ad jura Eccleſiæ, vel Principatus Romani ſolum pertineant? in priori caſu aliud non egerunt, niſi quod antiquis Canonibus, atque in ipſis Conciliis generalibus ſtabilitum invenitur, quodque quivis Epiſcopus pro conſervatione jurium ac Bonorum ſuæ Eccleſiæ non ſolum agere poteſt, ſed etiam tenetur; ſicut enim non omnia Poteſtati & gladio ſpirituali ſubduntur, ita nec omnia eidem ſubtrahi poſſunt. Verum de his toties iam prolatis atque diſcuſſis non lubet amplius diſputare: ad alia jam lectoris attentionem provocamus; nam iuvat pro Coronide aliquas propoſitiones damnatas addere, quæ cum materia, in binis ultimis his Capitibus à Febronio tractatâ, quamdam affinitatem habere videntur, dumque adverſarii authoritati Petri de Marca plurimum innitantur, etiam huius viri ſive emendationes ſive revocationes ſubiungimus, totumque opus tandem revocatione ipſis Febronii concludimus.

Propoſitiones damnatæ Joannis Wilcleff Anno 1418. in Concilio Conſtantienſi.

Propoſit. 11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum, à Deo: & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.

--- --- 12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipſo eſt traditor Regis, ac Regni.

--- --- 30. Excommunicatio Papæ, vel cuiuscunque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.

--- --- 41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

Propoſitiones Joannis Huſs in eodem Concilio damnatæ.

Propoſit. 7. Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.

Pro-

Propoſit. 9. Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ perſectio & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit.

— — 10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet Caput Eccleſiæ particularis Romanus Pontifex eſt Caput Eccleſiæ particularis Romanæ.

— — 12. Nemo gerit vicem Chriſti vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & inſtituentis Authoritas.

— — 15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ præter expreſſam Authoritatem Scripturæ.

— — 19. Per Cenſuras eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ad ſui exaltionem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam

multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto.

Propoſit. 27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum Eccleſia militante converſetur, & conſervetur.

— — 28. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis Capitibus per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet.

— — 29. Apoſtoli & fideles ſacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum: ſic facerent deficiente per ſumme poſſibile Papâ usque ad diem judicii.

Propoſitiones Martini Lutheri.

Propoſit. 24. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

Propo-

Propoſit. 25. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

— — 26. Verbum Chriſti ad Petrum, *quodcunque ſolveris ſuper terram* &c., extenditur duntaxat ad ligata ab ipſo Petro.

— — 27. Certum in manu Papæ aut Eccleſiæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum, ſed bonorum operum.

— — 28. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic, vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

Illuſtriſſimi Petri de Marca Emendationes & ſenſus de Poteſtate Papæ & Eccleſiæ

P. Deſiderant tom. 4. Conſil. Pietatis Cap. 13. &c. multis tradit, Petrum de Mar-

ca quatuor tantum libros de Concordia Sacerdotii & Imperii exaraſſe, atque morti proximum eos corrigendos & typis cudendos Stephano Balluzio Sacellano ſuo demandaſſe; ſed Balluzius, teſte & accuſatore Paulo Fageto, ipſius Petri de Marca cognato, quatuor illos libros non ſolum incorrectos edidit, ſed & quatuor alios exaravit, quos una cum prioribus ſub nomine Petri de Marca vulgavit, qui adeo hujus partus dici nequeunt. Interim Petrus de Marca adhuc vivens, haud diffitente ipſo Stephano Balluzio in ejus vita num. 26. pag. 15. Edit. 4. Barzione die 19. menſis Auguſti anno 1647. coram Notario & Teſtibus ſequentem declarationem & revocationem edidit. En verba: *hoc eſt exemplum bene & fideliter Barcinone ſumptum à quodam publico & authentico papyreo inſtrumento declarationis, ſano, & integro, ac fide digno, tenoris ſequentis: Ego infra ſcript. Petrus de Marca profiteor, me in omnibus ſequi, & amplecti, eam doctrinam de Juriſdictione, & immunitate Eccleſiaſtica, cœteriſque rebus, & cauſis Eccleſiaſticis, quam docet romana Eccleſia, eique firmiter adhærere. Quæcunque vero huic doctrinæ con-*

contraria ſcripſi in libro de Concordia Sacerdotii & Imperii, & in Epiſtola Hyacintho Meſſades Archidiacono Empuritano Eccleſiæ Gerunſis directa, à me editis, quæ poſtea Decretis ſacræ Congregationis Indicis damnata ſunt, ea quoque & nunc damno, & in altera illius libri editione me emendaturum ſpondeo, eandemque Eccleſiæ romanæ doctrinam etiam in reliqua operis parte à me edenda, me ſecuturum promitto. Profiteorque ſingularia illa jura, quibus in negotiis Eccleſiaſticis Rex chriſtianiſſimus utitur, nonniſi ex Privilegio apoſtolico exerceri; alioquin legitime non uſuparentur. Petrus de Marca &c.

Hæc ſola non ſunt, quæ ultimum atque ſincerum Petri de Marca ſenſum, mentem atque doctrinam oſtendunt. Jam anno 1646. hic author Innocentio X. libellum miſit, ubi doctrinam ſuam expoſuit, in quo libello 9. Propoſitiones indicavit, quas non ſolus Carolus Molinæus, ſed etiam Catholici quidam Galli Fauchtetius, Pasquierus, Pithæus, Hormannus, Servinus, aliique libertatum Gallicanarum conſarcinatores docuerunt: has de Marca ita refert:

1. Pontificem Romanum nullam authoritatem in Galliis exercuiſſe ante ſextum Sæculum.

2. Toto illo ſexcentorum fere annorum intervallo Regem ſolum, poſt Principes Romanos exactos, Eccleſiæ Gallicanæ, ut Caput, præfuiſſe, non autem Papam.

3. Non competere Papæ extra Concilium, ut leges Eccleſiaſticas condat, quæ Gallos obligent.

4. Papam à Sede & dignitate ſua dejici poſſe, ſi graviſſimum Scandalum Eccleſiæ inferat.

5. Nulla in ſpecie licere Pontifici aliquid ſtatuere adverſus Canones generalium Conciliorum.

6. Libertas Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtere in uſu antiqui juris comprehenſi Canonibus veteris Eccleſiæ, & ad Curias ſupremas pertinere, ut eum uſum Senatus conſultis ſuis paulatim reſtituant.

7. Gal-

7. Galliæ competere jus conſtituendi ſummum aliquem Patriarcham, ſi Pontifex regiis rationibus ſeſe non accommodet.

8. Regi liberum eſſe, ut Conſtitutiones ferat in rebus Eccleſiaſticis, quæ ſint ejusdem roboris, ac Leges de rebus Civilibus latæ.

9. Curiis ſupremis jus competere in dirimendis appellationibus ab abuſu, de principali, negotio decernendi, quemadmodum ſæpe uſurpatur in foro.

Lector digito prehendet in his propoſitionibus doctrinam, Syſtema Febronii & neotericorum ejus ſequacium: dolendum eſt, quod Scriptores Germani, quidquid ex Gallia affertur, ſine diſcretione, examine, & cui etiam in ipſa Gallia contradicitur, vel damnatur, imprudenter & ſtolide, ſolo novitatis ſpiritu devorent, poſtea à Gallis iterum condemnandi, contemnendique.

Interim adverſus illas regulas, ait Petrus de Marca, copioſe diſputatum fuit tam felici eventu, ut multis perſuaſum ſit, eas

defi-

definitiones ab iſtarum rerum imperitis, aut Eccleſiæ iniquis hominibus poſitas eſſe. An ergo Germanis probroſum non eſt, ignorare, quid in Gallia contra has propoſitiones actum ſit, & eas ibi jam refutatas atque exploſas tanquam doctrinam Eccleſiæ gallicanæ noſtræ Germaniæ divendere?

Proſequitur libello citato Petrus de Marca: itaque ſequentes Regulas, ex adverſo illarum, variis locis ſparſas conſtitui.

1. Supremam in rebus eccleſiaſticis Poteſtatem & authoritatem per Gallias exercuiſſe romanum Pontificem, judiciis ad relationes, & appellationes redditis ab eo tempore, quo fides Chriſtiana in Galliis floruit ad hanc usque ætatem.

2. Papam jure divino eſſe univerſalis Eccleſiæ Caput, atque adeo Gallicanæ, quæ illius eſt membrum.

3. Generalia Decreta à romanis Pontificibus in Gallias, æque ac in reliquas Provincias miſſa: quæ magno applauſu ab Imperatoribus romanis, deinde à Francorum Regibus,

bus, poſt conſtitutum Regnum ad hoc tempus ſuſcepta ſunt.

4. Nullum eſſe crimen, cujus ratione Papa deponi poſſit, excepta Hæreſeos publice profeſſo caſu. Quod verum eſſe teſtimoniis veterum docetur, & præterea hanc eſſe antiquam Eccleſiæ gallicanæ definitionem demonſtratur.

5. Papam ſolvere poſſe & diſpenſare valide & licite à Canonibus Conciliorum generalium, etiam ſine cauſa *publica:* dummodo hæc diſpenſatio non tendat ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum. Ubi nova plane ratione de toto hoc negotio diſſeritur juxta Juris antiqui Regulas, atque præſentem uſum.

6. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtere in uſu, & praxi Canonum, atque Decretalium tàm veterum, quàm recentiorum, easque libertates non pendere à ſola praxi veterum Canonum; ubi oſtenditur neceſſitate cogente, Pontifices variis temporibus pro bono publico Eccleſiæ ad novas leges condendas progreſſos.

7. Pa-

7. Papam præter eum Primatum, quo univerſæ Eccleſiæ præeſt, ſolum eſſe & immediatum occidentis & Galliarum Patriarcham.

8. Regibus vero non competere jus aliquod Epiſcopatum, vel Metropolim inſtituendi, multo minus Patriarchatum.

9. Regibus à Deo commiſſam eſſe tuitionem Eccleſiæ, ut edictis ſuis Decretorum & Canonum promulgatorum executionem urgeant: non autem ut arbitratu ſuo leges condant in iis, quæ fidem, aut Eccleſiaſticam diſciplinam reſpiciunt.

10. Concilii Tridentini regulas fidei omnes, & diſciplinæ præcipuas, conſtitutionibus Regiis admiſſas, cætera vero atque adeo Concilium ipſum publicari poſſe, quandocunque Regibus Chriſtianiſſimis conſtabit, nullam eſſe ſuſpicionem motuum ex ea promulgatione in Regno excitandorum; quod aſſertum eſt adverſus Magiſtratuum Regiorum opinionem, qui ad libertatem Regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo caſu vel tempore in Regno publicetur.

11. Ap-

11. Appellationum ab abuſu o b Canones violatos cognitionem reſtringendam eſſe ſaltem, & terminandam eo fine, ut ob Scandalum emergens ex novitate, executionem interim impediat eius judicati, quod à Judice Eccleſiaſtico latum erit adverſus Canones & Decreta. Attamen hoc prætextu Curiis ſupremis non licere, ut de negotio principali, quod eſt mere Eccleſiaſticum, pronuntient; uſumque contrarium alienum eſſe à mente veterum Principum, & Regum Chriſtianiſſimorum.

Hactenus Illuſtriſſimus Petrus de Marca.

Sequitur retractatio Febronii cum actis ad Exemplar Romæ 1778. editum huius Tenoris:

ACTA

ACTA
IN CONSISTORIO SECRETO
HABITO
A SANCTISSIMO DOMINO NOSRTO
PIO
DIVINA PROVIDENTIA
PAPA SEXTO
Feria VI. Decembris MDCCLXXVIII.

SOLEMNI DOMINICÆ NATIVITATIS DIE
Statim poſt Miſſam Pontificalem
IN BASILICA VATICANA
Prope B. M. V. de Columna, & S. Leonis Magni Altaria qui locus nunc pro Sacrario eſt, nondum novo, quo conſtruitur, abſoluto.

VENERABILES FRATRES.

QUAM bonum ſit confidere in Domino, VENERABILES FRATRES, ſplendiſſimum exhibet argumentum ea, quæ inter ſævientes procellas aura prodiit ſecurior, ob quam repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. *Juſta enim & rationabilis eſt cauſa gaudendi*, ait Leo Magnus, *cum à Sacerdotibus Domini ea geſta cognoſcimus, quæ & paternorum canonum Regulis, & apoſtolicis congruunt inſtitutis.* *a*) Magno munere divinæ Miſericordiæ multiplicata ſunt gaudia totius Catholicæ Eccleſiæ: Quippe ſtudio Venerabilis Fratris Clementis Wenceslai Archiepiſcopi Trevirenſis, & S. R. I. Principis Electoris, quem ſine ſumma laude nominare non poſſumus, pernicioſiſſimi errores extincti ſunt, & in victoria veritatis dudum

a) *Epiſt. 36. part. 2. Oper. Edit. Tyrnav. 1767.*

falſa dogmata perierunt. Non ignoratis plane quæ, & quanta intulerit damna Joannes Nicolaus Epiſcopus Myriophytanus, Eccleſiæ Trevirenſis Suffraganeus, cum ab Anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, ſub ementito Juſtini Febronii nomine, Libros edidit, quibus, ut impugnaret hujus S. Sedis Jura, veritus non eſt Eccleſiæ ipſius Unitatem diſſolvere. *a*) Modo idem Archiepiſcopus pro Religionis ardore, quo incenſus eſt, pro paſtorali, quæ maxime valet, virtute, ſuæque mentis præſtantia, illum ipſum Febronium induxit ad ſolemnem errorum ſuorum Confeſſionem & Retractationem. Plura & graviſſima ſibi ab illo propoſita veritatis argumenta cum Febronius excepiſſet, ſerioque recogitaſſet, facile animadvertit ſe fuiſſe terrena opinione deceptum; & ut in Sacris eſt Litteris apprime verſatus, agnovit commentis ſuis obſiſtere, atque adverſari Chriſti Domini doctrinam, Patrum teſtimonia,

a) *Libri Juſtini Febronii prohibiti fuerunt Decretis Congregationis Indicis* 27. *Februarii* 1764. 3. *Februar.* 1766. 24. *Maji* 1771. 29. *Martii* 1773.

nia, Conciliorum Decreta, aliasque Eccleſiaſticas Sanctiones. Ac tum etiam facile Nos credimus, Animo ejus obverſatum eſſe quidquid in Sacris Conventibus Trevirenſibus Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono habitis, quos ipſemet iterum prælo ſubjici voluit, *a*) ſancitum fuerat de tenenda, docendaque romanæ Eccleſiæ doctrina, aliisque ſervandis Eccleſiaſticis Juribus; quod perſpicue agnovit nulla debere varietate corrumpi. Sed adfuit certe, eumque intime commutavit, illabens in Cor, memtemque divinus Spiritus, ut repetente Febronius lapſum intelligeret, & ruinam ſentiret, atque defleret. Tum, ut ad Patrem ſapiens rediret, qui inſipiens à Patre receſſerat, cum ſtatim retractaſſet, rejiciſſet, ac deteſtatus eſſet, quæ ſuis antea Libris ſcripſerat; veniam à nòbis petiit, Apoſtolicæ Sedis Clementiam imploravit, tamque promtum, ac paratum ad præſtandas omnes

 offi-

a) *Hiſtor. Trevirens. Diplomat. Auctor Joan. Nicolao ab Hontheim, Epiſc. Myriophyt. Tom.* 2. *pag.* 740. *Edit. Auguſt. Vindelic. anno* 1750.

officii ſui partes exhibuit animum, ut etiamſi plurimum jam accurate revocaſſet, cetera tamen omnia, quæ Nos adhuc emendanda eſſe cenſeremus, ſine ulla cunctatione ſe correcturum promiſerit. Sed præſtat hæc ipſa, VENERABILES FRATRES, ex Archiepiſcopi Litteris, & Febronii Retractatione cognoſcere, quas Noſtrarum ad Principes Epiſtolarum Secretarius recitabit. Ac primum audite Litteras.

Sacrarium ingreſſus R. P. D. Benedictus Stay, Brevium ad Principes Secretarius, Cappa indutus, alta voce perlegit Litteras ſequentes.

BEATISSIME PATER.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui me conſolari dignatus eſt in graviſſima tribulatione mea, ut poſſem & ipſe oppreſſum ſimili ſollicitudine Sanctitatis Tuæ animum ſublevare.

Magna nimirum triſtitia mihi fuit, & continuus dolor cordi meo, dum viderem Suffraganeum ac Coepiſcopum meum Nico-

laum

laum ab Hontheim, Virum tot ceteroquin nominibus mihi carum ac venerandum, utpote qui ob excellens & ſingulare ingenium, immenſum omnigenæ eruditionis apparatum, longævam experientiam, mores à puero intactos, & fervidum reſtaurandæ diſciplinæ, Eccleſiæque ampliandæ ſtudium præ alio quovis oneri meo paſtorali levando aptior eſſet, quique, niſi eum zeli amaritudo, & inconſiderantia in transverſum egiſſet, Eccleſiæ bono, ſolatio, ac præſidio natus videbatur; dum, inquam, viderem Virum hunc terminos, quos poſuerunt Patres noſtri, quin imo quos Patribus noſtris divinus Legifer poſuit, tranſilire, atque à veritatis tramite tanto longius, tantoque obſtinatius aberrare, quo ipſum magis decipiebat ſpecies recti, & optimæ voluntatis conſcientia.

Interim tamen Scriptis ſuis unitatem Catholicam ſcindebat, ad quam reducere Proteſtantes moliebatur; Zizaniorum extirpandorum prætextu, ex Agro Dominico evellebat & Triticum; & fundatæ ſupra Petram Eccleſiæ ruinam parabat, dum illi etiam

ſuppetias ferre cogitaret: Sed & adverſus Sanctam, Catholico cuivis nonniſi cum Religione ſuſpiciendam, romanam Sedem attollere quandoque ſupercilium, ejus jura extenuare, prærogativas obterere, Jurisdictionem univerſalem, quam tota Antiquitas venerata eſt, è medio tollere, imo & ejusdem Sedis Præſules hinc inde probris conſcindere non dubitavit; eo nimirum, ut aſſerit, conſilio, ut vigentes in Romana Curia abuſus aboleret, Sedemque Divi Petri, ſublatis adſcititiis, iisque monſtroſis parergis, nativo ſuo ſplendori reſtitueret.

Ut autem omnia hæc tutius ageret, & parata fors temeritati ſuæ mala declinaret, ficto, Juſtini videlicet Febronii, Nomine Scripta ſua vulgabat; & ita quidem caute, ut quamquam Authoris Nomen, uti hominum neminem, ita nec me lateret, argumenta tamen deeſſent, quibus eum conſcripti Operis convincerem. Sed & verebar, ne ſi eo hominem adigerem, ut Febronianorum Scriptorum ſe authoritatem fateri cogeretur, jam aſſeclarum numero & Magnatum præſi-

dio

dio audacior effectus, eo proterviæ procederet, ut infelicis Operis elucubratione optime ſe de Eccleſia & veritate meritum eſſe contenderet; ſicque ignis non jam lente & clanculum, ut antea, ſeſe diffunderent, ſed disjectis repagulis, in vaſtiſſimum & nunquam forte amplius extinguendum incendium erumperet.

A Deo itaque optimo maximo Conſilium, auxilium, temporaque opportuniora expectanda eſſe duxi: quem in finem indignas quidem, at ſinceras tamen & fervidas, cum gemitu Columbæ, bonorumque omnium votis unitas præces ad Cælum direxi; illius quoque frequenter interponens authoritatem, ſanguinem & merita, qui, quæcumque in nomine ejus à Patre petituri eſſemus, ea Nos conſecuturos eſſe promiſit.

Quam benignum, quamque inclinatum ſupplicationibus meis ſe præbuerit Conſolator in ſe ſperantium Deus, dignabitur Sanctitas Tua ex adjuncto libello intelligere.

Prætermitto, ne longior ſim, narrare, qua occaſione dictum Suffraganeum meum

 Offi-

Officii ſui commonere incœperim ; quibusque gradibus eum divina clementia ad Sanctitatis tuæ pedes reduxerit.

Verum hoc, utpote virtutis eximiæ argumentum, in venerabilis Senis laudem præteriiſſe nefas foret; quod videlicet illum à primo inſtanti auſpicati inter nos negotii usque ad ejus conſummationem, nunquam non humilem, docilem, modeſtum, & ad quævis juſſa mea capeſſenda obedientem ac promptum expertus fuerim.

Nec ſolum Sanctitati tuæ ad ſaniora conſilia reverſum Authoris noſtri animum dictus ejus libellus exhibit; ſed & cum intimi ſolatii ſenſu conſiderandum ſiſtet, quam humiliter cum ſancta Sede reconciliari poſtulet, imo quantum gratiam hanc promereatur & magnanima errorum ſuorum Confeſſione, & amara priſtinæ rationis, factorumque minus rectorum pœnitudine, & inconfuſibili hodiernorum ejus ſenſuum Orthodoxia & acri, quo modo incenditur, in lata Eccleſiæ damna reparandi deſiderio.

At-

Atque inde eſt, cur ſupervacaneam rem me acturum arbitrer, ſi te rogem, ſanctiſſime Pater, ut pœnitenti paternum ſinum pandas neque enim dubitare fas eſt, quin illius Caritatem æmuleris, qui ſuper degeneri, ſed jam converſo Filio miſericordia motus, accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum, eique cum Stola prima omnem paternum amorem reddidit.

Certe, ſi quidquid Tibi eſt in me benevolentiæ (& multoties probaſti ineſſe quam plurimum) revertenti ad Te Cariſſimo Fratri meo exhibueris, & Viſcera mea in Domino reficies, & incredibili me voluptate perfundes.

Confidens in bonitate Tua, hæc duxi ſcribenda Tibi, ſciens quod ſuper id quod rogo facies; nec præteritarum modo ejus noxarum oblivifceris, ſed & Filii loco eum habebis, amabis, Litterisque amicis & ſenium ejus ſolaberis, & animum adverſus ſtolida hominum judicia confirmabis: Dignum quippe, & conſentaneum Tuæ clementiæ

arbi-

arbitror, ut qui ſuo ergo ſanctam Sedem obſequio fines nullos poſuit, eum illimitato prorſus affectu Sanctitas Tua complectatur.

Transfuſa jam in ſinum Tuum, beatiſſime Pater, ſuaviſſimorum ſolatii, gaudii, ſpei, ac fiduciæ ſenſuum exuberantia, ſupereſt ut & coram Te ponam humillimæ ac profundiſſimæ ſubjectionis tributum, quo, quamdiu vixero, in perſona Sanctitatis Tuæ honorare intendo Venerabilem illam Petram, cui inædificaturum ſe Eccleſiam ſuam Salvator promiſit, & contra quam, haud ſecus ac Eccleſiam ipſam, nullæ unquam inferorum poteſtates prævaleturæ ſunt.

Cumque in perſona Beatiſſimi Prædeceſſoris Tui Divi Petri, Apoſtolorum Principis, non Agnorum modo omnium, ſed & Ovium Tibi cura concredita ſit, provinciaque demandata confirmandi Fratres Tuos; intolerabili fere & viribus meis longe ſuperiori duarum Eccleſiarum pondere quaſi ad ima depreſſus, ad Te oculos, manus, vocemque attollo, ſuppliciter orans, ut fatis-

cen-

centem ſub tot Animarum regimine, de quarum ſingulis ſevero Judici mihi olim reddenda erit ratio, animum allevare, cæcutientem illuminare, aberrantem reducere, torpentem excitare digneris Conciliis, Juſſis, ac præſertim plurimum valenti apud Deum Precatione. Quæ omnia, ut Apoſtolica Benedictione mihi confirmare velis, vehementer à Te peto, qui finaliter me, gregresque mihi, utut indigno, commiſſos paternæ Tuæ benevolentiæ commendans, filialemque reverentiam & amorem humili Sacrorum Pedum oſculo profitens ſubſcribor.

SANCTITATIS TUÆ

Ehrenbreitſtein die 15. Novemb. 1778.
Devotiſſimus & Obedientiſſimus Servus & Filius.
Clemens Wenceslaus Archiepiſcopus & Elector.

Nunc animos veſtros ad Febronianam Retractationem advertite.

Idem R. P. D. Stay legit Retractationem Epiſcopi. Myriophytani, Suffraganei Trevirenſis.

BEA-

BEATISSIME PATER.

Siquid mihi in longæva, & ad excitum declinante vita evenit triſte, & acerbum (evenerunt autem haud pauca); illud omnium maximum, & intima viſcerum penetrans eſt, quod per Reverendiſſimum & Sereniſſimum Dominum Archiepiſcopum meum, Paſtorem vigilantiſſimum, ad me pervenit, Sanctitatem veſtram indigne ferre plura, quæ in Libris Juſtini Febronii, ſeu quovis alio adſcititio nomine à me vulgatis, aut forte etiam mihi ſuppoſitis continentur, utpote ſummæ Sedi injurioſa, nec non ſupremis ejus juribus detrahentia, proin ſanctæ noſtræ Religioni (ſane præter, & contra meam intentionem) noxia.

Cum autem nihil majus, & Viro bono dignius ſit, quàm agnitum errorem confiteri, & præteritam culpam melioribus factis redimere; ſic inprimis agnoſco & defleo errorem, ex zelo indiſcreto Proteſtantes Catholicæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi reuniendi, huncque in finem etiam uſus, & praxes particularium Eccleſiarum, easque perſæpe

ſæpe ultra modum exaggeratas, omnibus Eccleſiis applicandi ſtudio natum; neque eum, quoad vixero, deflere deſinam. Dein deliberatum mihi conſtitutumque eſt, poſtquam culpam confeſſus, & veniam gratiamque à paterna Sanctitatis Veſtræ clementia ſupplex deprecatus fuero, ſicuti jura & decorem ſummæ Sedis pro viribus tueri, ita & ejusdem Sanctæ Sedis judicium Libris & luminibus meis præferre, nullumque meæ erga eamdem ſubmiſſioni ponere terminum. Eripuit mihi authoritas Sanctitatis Veſtræ (in qua authoritatem Jeſu Chriſti recognoſco) errorem. Itaque præſentes, eosque genuinos animi mei ſenſus de Statu Eccleſiæ, & ſummis Sedis S. Petri, Apoſtolorum Principis, juribus, ad Succeſſoris ejus Pedes omni cum ſubmiſſione depono, tanquam in qua vivere, & mori cupio. Sunt autem ii ſequentes.

Inprimis profiteor & agnoſco cum *Tournelio*, Claves Eccleſiæ, & uni Petro, & unitati ſimul à Chriſto conceſſas eſſe, ita ut unum aliud non excludat. Oportebat quippe

pe meminiſſe cum *Tertulliano*, in Scorpiaco *Cap.* 10., *eas Dominum Petro*, *& per eum Eccleſiæ reliquiſſe*; & cum *Optato*, de Schism. Donatiſt. *Lib. VII. n.* 3., *Petrum Claves Regni Cælorum communicandas ceteris ſolum accepiſſe*; ut enim de Petro ait *S. Leo*, Serm. III. *in Anniv.*, *ſi quid* (Chriſtus) *cum eo commune ceteris voluit eſſe Principibus*, *nunquam niſi per ipſum dedit quidquid aliis non negavit*: Scilicet Claves datæ ſunt uni Petro, quatenus ille Primatum & regiminis Poteſtatem accepit à Domino, idemque Perſonam totius Eccleſiæ, ſeu Supremus ejusdem poſt Chriſtum, & ſub Chriſto Rector ac Moderator, gerebat. Datæ quoque ſunt Unitati, id eſt in bonum Unitatis, & Petro præcipue, ut dictum eſt, & aliis etiam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, quibus docendi, ac regendi Miniſterium & Poteſtas, ſecluſa plebe, commiſſa ſunt in verbis: *Sicut me miſit vivens Pater*, *& ego mitto Vos*. *Accipite Spiritum ſanctum*, *quorum remiſeritis peccata &c.* *Euntes docete omnes Gentes &c.* *Attendite Vobis*, *& univerſo Gregi*, *in quo Vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*:

Atta-

Attamen cum dependentia à Petro, & cum ſubordinatione ad ipſum, qui eas, ut ſuperius ait *S. Optatus*, communicandas ceteris ſolus accepit. Explodendus proinde error, hauſtus ex Proteſtantium fontibus, Eccleſiam Collegium eſſe, non Societatem, ut Catholici ſentiunt, in qua baptizati fideles ex inſtitutione Chriſti ſub legitimorum Paſtorum, ac præcipue ſummi Pontificis, regimine degunt; cujus regiminis Poteſtas, à Chriſto conſtituta, veram ſubjectionis, & obedientiæ obligationem multitudini, ſeu univerſati imponit.

Profiteor Dei Filium, dum ſuam Eccleſiam fundare, eamque eſſe unam vellet, formandæ ac regendæ huic Unitati Primatum in illa inſtituiſſe; huncque S. Petro commiſiſſe. Firmiter aſſero cum SS. Patribus *Cypriano*, *Hieronymo*, *Optato Milevitano*, *Gregorio Nazianzeno*, *Joanne Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Leone M.*, *Gregorio M.*, & aliis, propterea inter duodecim Apoſtolos unum electum eſſe, ut Capite conſtituto, ſuper quo Eccleſia fundata eſt, Schiſmatis tolla-

 tur,

tur occaſio: Ideo Chriſtum, cum ſuis Apoſtolis poteſtatem largiretur, ab uno, cui primatum tribuit, cœpiſſe, ut unam Eccleſiam, & unitatem Cathedræ, ſimulque unitatis originem demonſtraret: Schismaticum eſſe, qui, ut ait *Optatus*, contra ſingularem Cathedram aliam collocat, vel ab ejus communione per obedientiæ negationem recedit: Non habere Petri hæreditatem, qui Petri Sedem impia diviſione diſcerpit; ſiquidem ubi eſt Petrus, ibi eſt Eccleſia: Petrum Eccleſiæ fundamenta (Apoſtolos, ſibi ut Capiti ſubordinatos) in fidem ſuam recepiſſe; eidem Petro, in quo Primatus excellenti gratia præeminet, ipſorum etiam Apoſtolorum curam à Chriſto eſſe commiſſam: Ipſum eſſe Os: & Principem Apoſtolici Cœtus.

Aſſero hunc Primatum (qui non ordinis, inſpectionis ac directionis tantum eſt, ſed & veræ Auctoritatis ac Jurisdictionis) quia non minus, quam unitas ipſa, pro cujus conſervatione ac regimine inſtitutus eſt, perpetuus eſſe debebat, in Petri Succeſſores romanos Pontifices, Sedemque Apoſtolicam,

hujus

hujus Unitatis Centrum & Radicem, jure divino tranſiiſſe, ut nulla ratione transferri à Romano ad aliam Sedem valeat: Ad hanc Eccleſiam *propter potiorem principalitatem* (id eſt, propter ſupereminentem ejus dignitatem atque auctoritatem) uti ait *S. Irenæus*, *neceſſe eſſe omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique, fideles:* Eam eſſe Caput Eccleſiarum, *à qua*, ut inquit *Bonifacius Papa I.*, *quisquis ſe abſcindit, fit à chriſtiana Religione extorris.* Huic accedunt Patres Concilii Conſtantinopolitani IV. *Sequentes*, ut ajunt, *in omnibus apoſtolicam Sedem, & obſervantes omnia ejus Conſtituta, ſperamus, ut in una Communione, quam Sedes apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt vera & integra chriſtianæ Religionis ſoliditas: promittentes etiam, ſequeſtratos à Communione Eccleſiæ catholicæ, id eſt, non conſentientes Sedi apoſtolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda eſſe Myſteria.*

In horum ſequelam cum Patribus *Concilii Oecumenici Florentini* agnoſco, romano Pontifici in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino

noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Sicut autem paſcendi, & regendi poteſtas ſine conveniente Auctoritate, Juriſdictione, ac coactione (ad quam etiam, velut graviſſima ſpiritualis pœna, pertinet excommunicatio, quoad fructum & ſuffragia generalia ſeparans) ſubſiſtere non poteſt; ſic talem à Chriſto ipſo promanantem in Romano Pontifice, tanquam univerſalis Eccleſiæ Capite, Principe, ac Magiſtro reſidere affirmo.

Profiteor quoque Romanum Pontificem eſſe ſummum Judicem Controverſiarum in rebus Fidei & Morum; ac in omni ejusmodi Controverſia exorta, hinc inde diſſentibus animis, tum maxime audiendam vocem *Hieronymi*, ſcribentis ad Damaſum: *Ego Beatitudini Tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus eſt .... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Et: *Adhuc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me ſeſti-*

ſeſtinat . . . . Ego interim clamito : Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.

Addo ſpeciatim adverſus errorem tum veterum, tum recentiorum Novatorum, qui ſpreta multitudine Epiſcoporum, Capiti ſuo romano Pontifici expreſſe, vel tacite adhærentium, Eccleſiam, ac veritatem in ſua paucitate concludere non verentur, fieri non poſſe, ut à vero aberret Corpus Epiſcoporum, qui Capiti ſuo romano Pontifici adhærent: Sic hæreſim Lutheri jam ante *Concilium Tridentinum* ab Eccleſia, præeunte Pontifice, per ejus Oraculum ultimato & irrevocabiliter damnatam fuiſſe; quandoquidem Eccleſia Capiti unita, ſive per Orbem univerſum diſperſa, ſive congregata in Conciliis Generalibus (in quibus Epiſcopi jure proprio ac judiciaria poteſtate ſibi ex inſtitutione Chriſti cohærente una cum ſummo Pontifice definiunt) in dictis Cauſis definiendis errare non poſſit, nec ab ea Cathedra diſcedere, ad quam, teſte *Cypriano*, perfidia non valet accedere; & in qua, manente diſpoſitione veritatis, B. Petrus in accepta fortitu-

dine Petræ perſeverans Eccleſiæ gubernacula non relinquit, ac per Succeſſores ſuos ſedere, ac loqui non deſinit.

Agnoſco pariter datam Eccleſiæ à Chriſto authoritatem judicandi de ſenſu, ſeu doctrina Propoſitionum, Librorum & Authorum, ac fideles compellendi ad ſubſcribendum ſuæ Sententiæ; hos proinde teneri eidem acquieſcere interna mentis & judicii adhæſione, non ſolum religioſo, ut vocant, ſilentio; atque hujusmodi Judicium nullatenus errori eſſe obnoxium. Conſtitutioni *Unigenitus*, ut dogmatico ſanctæ Sedis romanæ & univerſalis Eccleſiæ Decreto, omnimodam ab omnibus obedientiam deberi affirmo.

Dico cum *Avito Viennenſi Epiſcopo*, in rebus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum, eſſe referendum.

Circa Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas, profiteor cum *SS. Gelaſio & Leone*, eas venerabiliter ſuſpiciendas eſſe, & ſancte cuſtodiri debere.

Affir-

Affirmo romano Pontifici jure divino competere Jus indicendi, dirigendi & confirmandi univerſalia Concilia, quæ per ejus concurſum plenam ſortiuntur firmitatem, & infallibilitatem, independenter à quacumque alia acceptatione.

Concilium Tridentinum non tantum in Cauſis Fidei, ſed etiam diſciplinæ liberum fuiſſe profiteor, non obſtante, quod pro illorum temporum & rerum circumſtantiis in eadem ſacroſancta Synodo non potuerint omnia de quorundam etiam proborum Virorum voto ac deſiderio reformari. Cauſas Criminales Epiſcoporum per Concilium *Tridentinum. Seſſ. XXIV. Cap.* 5., ſummo Pontifici, & apoſtolicæ Sedi merito reſervatas judico. Cumque eadem ſacra Synodus, *Seſſ. XIV. Cap.* 1., declaravit Pontifices maximos, *pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia tradita*, Cauſas aliquas Criminum graviores merito potuiſſe ſuo peculiari judicio reſervare; non arbitror licere apertam hanc Synodi declarationem eludere, aut obliquis & coactis interpretationibus evertere, quaſi hæc pote-

ſta ſummo Pontifici non competeret proprio, ac originario, divinoque jure. Habet proinde idem Pontifex, & jure exercet in Univerſa Eccleſia poteſtatem diſpenſandi ex legitima cauſa in lege per Generale Concilium lata.

Primis jam tum Eccleſiæ temporibus ii cenſebantur Spurii, adulterinique Epiſcopi, quorum Romanus Pontifex Ordinationem, ſeu Electionem abſolute reſpueret, veluti *ULTRAJECTINORUM Pſeudo-Epiſcoporum*, aliorumque eidem Communioni, atque Cauſæ adhærentium. Quamvis autem antiquioribus temporibus Confirmatio, & Conſecratio Neo-Electorum Epiſcoporum ad Provinciales Synodos, præcipue vero ad Metropolitanum pertinuerit; attamen legitimis de cauſis hæc diſciplina per Univerſum Occidentem mutata fuit, neque priſtinam hac in parte diſciplinam reduci poſſe exiſtimo, niſi de pleno atque libero Summæ Sedis aſſenſu. Idem de Translationibus, & Depoſitionibus Epiſcoporum, nec non de Erectionibus novarum Sedium Epiſcopalium ſervandum judico.

Canonizatio Servorum Dei per Papam *Alexandrum III.*, ad evitandos innumeros abuſus, ſoli Romano Pontifici, ſecluſis Epiſcopis Diœceſanis, merito reſervata eſt. Quamquam & ab antiquioribus temporibus, ut habetur ex *Benedicto XIV.*, *Lib.* 1. *de Beatif. & Canon. Serv. Dei Cap.* 10. *num.* 1, Beatificationes ipſæ, quæ fiebant ab Epiſcopis, vim obtinebant Canonizationis, vel per expreſſam Summi Pontificis approbationem, vel per univerſalem, extra Concilium, Eccleſiæ conſenſum, in quo tacita Summi Pontificis approbatio continebatur.

Quamvis olim vix aliæ Cauſæ, quam Majores, ex Provinciis ad Romanam Curiam deferrentur; attamen hodie in reverentiam Summæ Sedis, ac pro Suprema poteſtate eidem in univerſa Eccleſia divinitus tradita, legitimo communique uſu invaluit, ut in quibusvis Cauſis Eccleſiaſticis ad Summum Pontificem appelletur; ita ut ejusdem Sanctiſſimi authoritate in ſuprema inſtantia judice-

 tur,

tur, tum Romæ per Judices Ordinarios ibidem conſtitutos, tum per Delegatos in partibus, pro diverſitate locorum, morum, & Concordatorum.

Summi Pontifices *Pius II.*, *Julius II.*, & *Gregorius XIII.* omni jure damnarunt Appellationes a Papa ad futurum Concilium, cujus damnationis cauſas ſuis Conſtitutionibus explicant. Sane jam antea reprobatas comperimus *à Gelaſio* Appellationes à Sede apoſtolica: *Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellare voluerint; ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.*

Equidem primævo Eccleſiæ uſu omnia Beneficia ad Epiſcopi, tanquam ordinarii Loci, diſpoſitionem, ſeu collationem pertinuiſſe videntur; attamen cum ſanæ rationis ſit, ut ſummus & univerſalis Pontifex plurium in Provinciis gratiarum diſpenſator, exiſtat, ſic minimæ injuſtæ, imo huic ſummi & univerſalis Pontificis qualitati conſonæ fuerunt Beneficiorum Reſervationes, quæ

dein-

deinceps Nationum Concordatis firmatæ, & reſpective moderatæ ſunt. Hæc Concordata, utpote vim pacti habentia, religioſe omnino ſervanda ſunt. Declararunt autem ſæpius Romani Pontifices, ſignanter *Gregorius XIII.*, longe a ſuo animo abeſſe Concordatorum, nominatim Germaniæ, infractionem.

Annatæ ad ſublevandas neceſſitates Romanæ Curiæ, pro omnibus Eccleſiis excubantis, laborantis, & ſumptus portantis, pro legitimis habendæ; atque ut tales, eo ſaltem uſque retinendæ ſunt, donec alia æque commoda ratione, Apoſtolicæ Sedis judicio, ſuſtentationi, atque innumeris oneribus ejusdem Curiæ proviſum fuerit.

Exemptio Regularium (quorum magna in Eccleſia eſt utilitas,) eorumdemque immediata ſubjectio ad Apoſtolicam Sedem, legitimis ex cauſis, in bonum non tantum Religioſorum Ordinum, ſed etiam Univerſalis Eccleſiæ, videlicet ad faciliorem eorundem

ſub

ſub uno Supremo Capite gubernationem, introducta, & ab omnibus Eccleſiis agnita, nedum a Seculari poteſtate, ſed neç ab una particulari Synodo abrogari valet. Abuſibus, ex hac Exemptione naſci valentibus, per *Concilium Tridentinum* occurſum, & proviſum eſt.

Scio Epiſcopos non ab Eccleſia, ſeu fidelium Univerſitate, ſed a Spiritu *Sancto* poſitos, ut commiſſos ſibi Greges intra ſuas ſolum Diœceſes paſcant & regant, cum debita ad Romanum Pontificem ſubordinatione. Quamvis autem illi primis Eccleſiæ temporibus ampliorem, pro varietate diſciplinæ, in his quæ jurisdictionis ſunt, poteſtatem exercuerint; potuere tamen Canones ejus uſum intra ſtrictiores terminos coercere, quos privata authoritate extendere nefas foret.

In illis, quæ ad Fidem Sacramenta, & Eccleſiaſticam Diſciplinam pertinent, poteſtas Eccleſiaſtica pleno jure decernit, ſine concurſu poteſtatis Civilis; ratione tamen mutuæ Protectionis, quam ſibi invicem debent, ad hanc ſpectat, juxta mentem Eccleſiæ,

ſiæ, & quantum ipſa optat, ejus Canones protegere, & exequendos curare per media temporalia.

Finaliter judico, curandum omni legitimo ac meliore modo, ut pax & concordia inter Eccleſiam, & Rempublicam perpetuo retineatur; atque adeo, quoad Fides & Religionis jura patiuntur, vitandas eſſe occaſiones offenſionum, unde & diſſidia oriri, & gravia mala in Religionis detrimentum timeri poſſent.

Accipe, SANCTISSIME PATER, has Aſſertiones, velut teſſeram genuinæ meæ ſententiæ de divinis, atque eminentioribus Tuis, Tuæque Sedis juribus, tanquam monumentum revocationis omnium, quæ adverſum ea, & ſi quæ fortaſſe alia veræ doctrinæ Capita, ſeu univerſalis Eccleſiæ jura (licet præter intentionem) a me quavis via, aut modo dicta, ſcriptave fuere, vel ſcripta videri poſſent.

Si quid ultra eſt, quod circa Fidei, ſeu Doctrinæ meæ profeſſionem ac declarationem,

nem, quam in omnibus Sanctæ Romanæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ conformem eſſe cupio, jubes, aut poſtulas; habebis me ſemper eandem germana ſinceritate edendam obedientem ac promptum. Non negabis interim (ſic humillime confido) veniam erranti, qui medias etiam inter deviationes nihilominus cum Patribus *Concilii Lateranenſis* ſemper agnovit, & quoad vivet, agnoſcet, Romanam Eccleſiam, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinere Principatum, utpote Matrem Univerſorum Chriſti fidelium; qui cum *Divo Bernardo* ſine fraude & fuco profitetur: Eſſe alios aliis aſſignatos Greges, ſingulis ſingulos; Tibi univerſos, uni unum, non modo Ovium, ſed & Paſtorum, tanquam uni omnium Paſtori; qui cum *S. Hieronymo* non ignorans Romanam Eccleſiam ſupra Petram, qui Chriſtus eſt, ædificatam, nihil magis deſiderat, quam Cathedræ Petri (qui etiam *per Chriſtum factus eſt Petra*, ut ait *St. Maximus Taurinenſis*) perpetuo conſociari. Suſcipe me in hanc Unionem; redde pœnitenti filio paternum affectum; & in pignus hujus gratiæ da

jacen-

jacenti ante Sacratos Pedes Tuos, eosque deoſculanti, Apoſtolicam Benedictionem

SANCTITATIS TUÆ

Treviris 1. Novembris An. MDCCLXXVIII.

Humillimo & Obedientiſſimo Filio

Joanni Nicolao ab Hontheim Epiſcopo Myriophitano Suffraganeo Trevirenſi M. propria.

Noſtras modo in forma Brevis Litteras, quibus ad utrumque reſpondimus, audietis.

Poſtremo ab eodem lectæ ſunt Epiſtolæ Sanctitatis ſuæ ad utrumque.

Venerabili Fratri Clementi Wenceslao Archiepiſcopo Trevirenſi, & Epiſcopo Auguſtano, S. R. I. Principi Electori

PIUS PAPA SEXTUS

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Nihil nobis gratius, atque acceptius Tuis Litteris contingere unquam potuit, Venerabilis Frater; nihil,

hil iis, quæ Nobis ipſæ attulerunt, exoptatius. Incredibile eſt, quanto inde, quamque immenſo repleti gaudio ſumus: idque Tu ipſe magis ex Tuo lætitiæ ſenſu exiſtimare poteris, quam Nos ullis Tibi ſignificationibus exponere valeamus. Illo, quem nunciaſti, ſucceſſu, illo, quem transmiſiſti, *Retractationis* Libello, graviſſimam detraxiſti Nobis, quæ jamdiu animo infixa erat, de *Febronianis* Scriptis ſollicitudinem; quantumque antea de illatis illinc in Eccleſiam damnis dolebamus, tantam nunc in ſpem inducimur fore, ut iis ipſis Scriptis jam a ſuo Auctore repudiatis, abdicatis, ac damnatis, accepta detrimenta ſarciri tandem ac refici videamus. Hunc a Deo ipſo rei exitum eo magis expectamus, quo magis illius Digitum, Cor hominis altiſſime pervadentem, atque immutantem agnoſcimus. Tuos ille ſermones, cum Epiſcopo Myriophitano Suffraganeo Tuo a Te habitos, Tua in ipſo ab errandi via deducendo conſilia, Tuas actiones pro ſua gloria, atque Eccleſiæ utilitate ſuſceptas ſui Spiritus afflatu moderabatur, ſua ope præſidioque muniebat, opportunitatesque omnes,

&

& differendi, atque agendi tempora ſapientia ſua gubernabat. Illi igitur, qui dives eſt in miſericordia, ſummæ immortalesque habendæ ſunt a Nobis gratiæ, quod & Tua vota, ſtudia, ac labores, & Noſtras non intermiſſas preces, ac lacrymas, in cordis humilitate ad eum fuſas, tam liberaliter, tam benigne tandem reſpexerit. Verum cum ab ipſo Tua fuerit opera, tamquam ſuæ miſerationis inſtrumentum, adhibita, ipſam hanc tam egregiam, tamque excellentem operam ac virtutem Tuam intima animi Noſtri comprobatione proſequimur, atque in Cœlum extollimus; Tibique, Venerabilis Frater, ita gratulamur, ut nihil unquam a Te in Tuo Epiſcopali munere neque glorioſius, neque utilius ſuſcipi, atque effici potuiſſe Apoſtolica voce prædicemus. Summa eſſe Tua fatemur de Nobis, de ſancta hac Sede, Eccleſiaque Univerſa merita, ac maxima inde, nec unquam interitura acceſſiſſe ad priſtinam Tuam laudis ac ſplendoris amplitudinem veræ ſolidæque gloriæ ornamenta. Hæc eximia Noſtra de Te judicia pari etiam gratiſſimi animi teſtimonio, ſummique in Te

 amo-

amoris, exiſtimationis, ac ſtudii declaratione cumulamus. Proinde quod Tu nunc a Nobis vehementer exoptas, atque efflagitas, ut Venerabilem Fratrem Joannem Nicolaum Epiſcopum Myriophitanum jamdiu aberrantem, ac ad Nos modo revertentem, in gratiam benevolentiamque Noſtram reſtituamus, magnopere quidem gaudemus in eo, quod Noſtra animi inductione cupidiſſime præſtituri ſumus, una etiam Nos eſſe Tuo huic graviſſimo poſtulato præclare ſatisfacturos. Itaque omnia, prout fieri a Nobis cupis, ab ipſo antea in Apoſtolicæ hujus Sedis Eccleſiæque jura perperam atque inconſulte dicta, ſcripta, actaque ex animo remittimus, condonamus, atque ignoſcimus; ad eaque reſpicimus, quæ nunc conſecuta ſunt, quæ nimirum a Te, atque ab illo ipſo etiam de præſenti ſuo animi ſenſu ad Nos deferuntur; eumdem in paternæ Caritatis ſinum, atque in complexum Noſtrum libenter, amanterque recipimus, ac tamquam inventam Ovem, quæ perierat, humeris Noſtris imponimus, atque ad hanc ſolidiſſimam Veritatis Petram læti exultantesque reportamus, ac inter ceteros

teros

teros Coepiſcopos Fratres, itemque Filios Noſtros adnumeramus; & quo amplius habeat paterni hujus Amoris, lætitiæque Noſtræ argumentum, non mediocri etiam laude, & commendatione hanc ipſius actionem exornamus. Commendari enim oportere a Nobis intelligimus jus cum ingenii docilitate conjunctam Animi fortitudinem, quæ in ſuo hoc facto perſpicue conſpicitur atque eminet, dum illas ſuas, quas tantopere adamarat antea, propugnaratque Sententias, abiicit nunc, ac deteſtatur, dum plurimorum huic Petri Cathedræ aut adverſantium, aut invidentium, quos undique in ſuas partes laudesque pertraxerat, judiciis non retrahitur, non permovetur. Quid hoc eſt, niſi quodammodo pro veritatis, quæ affulſit, amore ſemetipſum contemnere, ex Saulo novum in ſe Paulum exprimere, de ambitione, de ſui laude, de profani Sæculi hujus aura fortiter, egregieque triumphare? Quo certe humanæ Naturæ imbecillitas pertingere non poteſt, niſi divina ope fulta, ac roborata. Divinæ igitur voluntatis rationibus inhærere Nos putamus, dum eumdem ſingulari laude profe-

quimur, quæ potiſſimum in Dei ipſius gloriam eſt redundatura. Idcirco jam nunc ipſi amantiſſimis reſpondemus Litteris, quas hisce conjunctas ad Te tranſmittimus; in iisque intimæ reconciliationis, gratiæ, laudationisque Noſtræ teſtem Apoſtolicam Benedictionem ex animo concedimus. Ut autem ad Te regrediamur, Venerabilis Frater, ita tua hac virtute, tuaque felicitate gaudemus, ut plurimum ob ipſum etiam tam ſingulare, tamque præſtans exemplum, in Te ſplendoris, in Apoſtolicam Sedem utilitatis adjunctum iri cumulum judicemus. Maximo enim exemplum illud ceteris omnibus Epiſcopis incitamento ad Sacra tuenda, & propugnanda Jura futurum confidimus: Eos vero accerrime poterit ſua claritate ac luce ad imitationem impellere, quibus ob locorum propinquitatem erit ipſum multo conſpectius; quibusque deeſſe jam hoc tempore non poteſt ejusmodi exhibendæ, exercendæque virtutis copia. Nunc vero etſi Te ipſum impoſterum Tui ſimilem futurum non dubitemus, valdeque lætemur nulla Te hortatione indigere, qui tua ſponte ad præclara quæque inflam-

ſlammaris; tamen ut magis Tibi conſtare poſſit, quantum adhuc tua virtute nitamur, illud nunc a Te expectamus, ut quem a Deo recepit Suffraganeus tuus docilitatis ſpiritum, eodem pro tua apud ipſum auctoritate velis uti ad debitam ab ipſo exigendam, quam promiſit, operam, qua illud errorum propugnaculum, quod jampridem excitavit, idem ipſe ſui ingenii, ſuæque doctrinæ ope deiicere, ac funditus delere pergat; ex quo certe præcipuum ipſi illi Retractationi ſuæ pondus adjungetur: Tecum præterea S. Leonis Magni adhibemus ad Theodoretum, Cyri Epiſcopum, ſcribentis verba: (a) *Victoria, quam Chriſtus Dominus Noſter ſuæ donavit Eccleſiæ, quamdiu in hoc Mundo verſamur, licet fiduciam majorem tribuat, non tamen in totum ſollicitudinem perimit, nec ut dormiamus donata eſt, ſed ut ſuavius vigilemus.* Jam quod reliquum eſt, & perſpectiſſima Nobis antea erant Tua in Nos, & Apoſtolicam hanc B. Petri Cathedram ſtudii, conjunctionis, obſervantiæ, pietatisque officia; & nunc adeo grata & jucunda eſt eorumdem in Epiſtola tua luculen-

(a) *Epiſt.* 93. *Cap.* 6. *Part.* 2. *Oper. cit. Edit.*

tiſſima confirmatio, nt nihil cupiamus magis, quam palam omnibus facere poſſe, quantam Tui, Tuæque Dignitatis ac Virtutis rationem habeamus, quantumque ad ea omnia præſtanda, quæ ad Tuæ laudis gloriæque incrementa faciant, atque ab hujus S. Sedis beneficentia proficiſci poſſit, potiſſimum incendamur. Interim Deum Opt. Max. precamur, ut cum ipſe præſtantium tuorum meritorum ſuaſor, impulſor, atque auctor extiterit, item etiam eſſe ſuorum in Te munerum amplificator velit. Atque hujus divinæ benignitatis auſpicem Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, Tuæque fidei concreditis populis intimo paternæ Caritatis ſenſu amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Decembris MDCCLXXVIII, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Benedictus Stay.

Vene-

Venerabili Fratri Joanni Nicolao Epiſcopo Myriophitano.

PIUS PAPA SEXTUS

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quod ſummopere ſemper optavimus, quodque à Deo optimo maximo omni animi contentione precati ſumus, ut Tu, venerabilis Frater, cordis dolore tactus intrinſecus, tandem aliquando à ſuſcepta jamdudum offenſionis atque erroris ſemita illius miſeratione digrederis, Teque ipſum ad veræ doctrinæ lucem revocares; id nunc contigiſſe & ex Litteris venerabilis Fratris Clementis Wenceslai Trevirenſis Archiepiſcopi, & S. R. I. Principis Electoris, & ex transmiſſo Nobis Tuo Retractationis Libello incredibili paterni Noſtri animi jucunditate intelleximus. Maximas extitiſſe Nobis à Te antea doloris, atque ægritudinis cauſas, ipſe facile percipere potes; cum Te nimirum intueremur hujus apoſtolicæ Sedis beneficio ad Epiſcopatum evectum, ipſique tanto neceſſitudinis nomine devinctum, tamen inſurrexiſſe ad eamdem oppugnandam, idque conari, ut ejus antiquiſſima jura, at-

que à Chriſto Domino derivata privilegia minueres, ac labefactares. Divinis Nos ſane freti promiſſionibus certiſſime confidebamus, ſolidiſſimam hanc veritatis Petram nullis unquam adverſis ventis ac tempeſtatibus concuti poſſe, atque ad ruinam impelli. Sed & Tuam dolebamus vicem, qui Te tantopere à Nobis averteres, atque aberrares; & eorum etiam omnium errorem perniciemque deflebamus, quos ingenium tuum, amplaque eruditionis, ac doctrinæ ſpecies ad Tuas partes, hoc præſertim adverſiſſimo Eccleſiæ ac Religioni tempore, facile pertrahebat, atque aggregabat. Has priſtinas graviſſimas moleſtias, perpetuasque ſollicitudines Noſtras non idcirco nunc commemorandas ſuſcepimus, Venerabilis Frater, ut Tibi quidquam exprobrare videamur; ſed ut luculentiſſime declaremus, in quale, quantumque illæ jam converſæ ſint gaudium; quamque ex ipſa ſuperioris temporis recordatione ſenſus in Nobis Tuæ hujus reverſionis fiat jucundior. Cognoſcimus certe in Tuis hisce immutatis conſiliis Dei virtutem ac miſericordiam, qui non reliquit Te usque in finem,

ſed

ſed novam Tibi mentem voluntatemque per Sanctum Spiritum immiſit, atque indidit; eique quantas maximas poſſumus, intima Animi fide gratias perſolvimus; Teque etiam hortamur, ut hæc ipſi debita Tuæ Religionis Officia in humilitatis ſenſu exhibere, ac referre nunquam intermittas. Porro ut Tu ipſe pro tanto beneficio, poſt Deum, unice obſtrictus es eidem Trevirenſi Archiepiſcopo Tuo; ita Nos itidem plurimum ipſi debere ultro profitemur, qui ſua tandem opera, Sapientia, ac Virtute perfecit, ut divina ope Te ad hanc Beati Petri Cathedram cum gemitu ſiſteres, implorares veniam, ad ejusque cultum, obſequium, ac reverentiam puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta redires. Hoc nimirum de Te perſuadent Nobis, præter ſummam ejus ampliſſimi Viri auctoritatem, ipſa ratio Epiſtolæ ac Retractationis Tuæ, in qua poſt plurima ſingulatim, atque accurate expreſſa, à Teque revocata expreſſa, à Teque revocata, Animum præteritorum omnium pœnitentem exhibes, eumque in modum comparatum eſſe confirmas, ut cetera etiam, quæ non expreſſeris, con-

tra Apoſtolicæ Sedis Decreta, ac doctrinam à Te unquam prolata, ſtatim ut admonitus fueris, Te ad veritatis normam redacturum eſſe pollicearis. Hoc optimæ voluntatis Tuæ teſtimonium Nos perlibenter ſuſcipimus; hoc certum tuæ Conſtantiæ pignus eſſe exiſtimamus. Proinde remittentes Tibi quaſcumque Canonicas, & ſpirituales pœnas, Te, Venerabilis Frater, quod tam enixe à Nobis ſuppliciterque poſtulas, in Noſtram & ſanctæ hujus Sedis gratiam reconciliamus, ac reſtituimus; Tibi pacem, quam à Chriſto Domino didicimus, largimur; Tibi paterno amplexu occurrimus; Te inter Epiſcopos Collegas Noſtros adnumeramus, atque amantiſſimis Verbis Filium etiam Noſtrum compellamus. Dum hunc Noſtrum, ut vides, amorem Tibi tam prolixe deferimus, eumdem etiam cum plurima tui commendatione ac laude jam nunc conjungere minime dubitamus; neque enim diſſimulare poſſumus in Tua hac Actione conſpici à Nobis & docilitatem ingenii, & magnitudinem animi Tui. Nam quid majus à Te fieri, quid fortius potuit, quam diſcuſſa errorum caligine, à priſtina-

ſtina mentis elatione ad chriſtianæ humilitatis ſenſum demitti, tuas abjicere ac reprobare ſententias, veritati poſthabere exorituros de Te rumores, Temetipſum quodammodo vincere atque contemnere? Quod quanto difficilius eſt, humanæque Naturæ vires excedens; tanto magis intelligimus abundare in Te divitias gratiæ & bonitatis Dei. Ita certe Boni omnes, quorum graviſſima apud Te eſſe debent judicia, Nobiſcum ſentient, cum Nos, quæ operata ſit in Te dextera Domini, palam faciemus. Tu itidem, Venerabilis Frater, illud nunc potiſſimum age, ut omnes Populi publica tua veritatis à Te agnitæ confeſſione, divinæque potentiæ celebratione quid per ejus miſericordiæ gratiam ſis conſecutus, intelligant. Maximum exiſtima, atque opportuniſſimum illati à Febronio in Eccleſiam detrimenti futurum remedium, ſi Tu ipſe, qui eos Libros conſcripſiſti, eosdem, ut erant antea ad plurimorum ruinam, ita nunc ipſorum ædificationem refutes, convincas, ac redarguas. Etſi provecta jam ætate ſis, integris tamen adhuc Te, Deo juvante, pollere cum Animi, tum Corpo-

Corporis viribus non ignoramus. Quid potius igitur, quid utilius, quid præſtantius reliquo vitæ tempore facias, quam, ut qua manu vulnera Eccleſiæ atque Apoſtolicæ Sedi inflixiſti, eadem illa ipſa alligare, ac perſanare omni ſtudio, ac labore contendas? Habes profecto plurimos, quos immitere, præcedentibus Eccleſiæ temporibus inſignes & Sanctitate & doctrina Viros, qui nedum prioris ætatis errata retractare veriti non ſunt, ſed eadem ſemel detecta conſtantiſſime rejicientes, maximam hoc ipſo apud omnes ſuo nomini gloriam compararunt a). Eja igitur, Venerabilis Frater, *exere vires*, Te ipſis S. Joannis Chryſoſtomi verbis excitamus,

a) *for-*

a) *Epiſt. Maximi, Urban, Sidon. & Machar. de ſuo reditu ex Schismat., L. inter Epiſtol. S. Cyprian. Edit. Paris. cum Adnotat. Pamel. an.* 1603. *S. Auguſtin. in Prolog. lib. Retractation. Tom.* 1. *Operum Edit. Paris. Monachor. S. Maur:* Neque enim quisquam, niſi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed ſi dicit, non ea debuiſſe a me dici, quæ poſtea mihi etiam diſplicerent; verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehenſor eſt, quorum & ego ſum. Neque enim ea reprehendere deberem, dicere debuiſſem.

n) fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce; pactum, quod ſpondiſti; conditionem, qua acceſſiſti; militiam, cui nomen dediſti: Tibi etiam S. Bonifacii Moguntini Epiſcopi, Germaniæque Apoſtoli, plenas auctoritatis voces ſubjicimus, quem Tibi ignotum eſſe non poteſt aliquantulum etiam ad Palatiolum Monaſterium prope Treviros conſtitiſſe *b*): Ille ad Zachariam ſcribens teſtatur, nihil tam ſe optare, quam *Catholicam Fidem & Unitatem romanæ Eccleſiæ ſervando dilatare, & quantoscumque audientes, vel diſcipulos in iſta Legatione mihi Deus donaverit, ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis invitare & inclinare c*). Nos vero Tibi ipſum Zachariæ ad Bonifacium reſponſum damus: *Domini deprecamur Clementiam*

a) *Serm. de Martyrib. Quod aut imitand. aut non laudandi ſunt. Tom.* 3. *Oper. Edit. Paris.* 1581. *pag.* 849.

b) *Brovver. Annal. Trevirenſ. Tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 116. *Bollandiſt. Act. SS. Junii Tom.* 1. *Die* 5. §. 2. ; *dein in* 4. *Vita ejusd. S. Bonifac.* §. 2.

c) *In Collect. Concilior. Labb. Tom.* 6. *p.* 1495. *Edit. Paris.* 1671.

tiam, licet peccatores, ut ſuo Te muniat, & confortet auxilio, Noſque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſpicere nuncia a). Demum pro Dei benignitate nova, ſemperque uberiora impoſterum à Te lætitiæ Noſtræ, Tuæque commendationis argumenta expectantes, apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, cœleſtium munerum omnium auſpicem, in paternæ gratiæ, pacis, caritatisque amplexu ex animo, ac peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Decembris MDCCLXXVIII Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Benedictus Stay.

Hiſce abſolutis, præfatus R. P. D. Stay egreſſus eſt e loco Conſiſtorii; & Sanctiſſimus Allocutionem proſecutus eſt.

Ex quibus omnibus præclare intellexiſtis VENERABILES FRATRES, quid hac in re actum jam ſit; præcipue vero conſtare Vobis potuit, quam candido, ſincero atque ingenuo-

a) *In citat. Collect. Labb. pag.* 1527.

genuo animo in Cor ſuum ſe rediiſſe fateatur Febronius; & quod animadverti maxime debet, non temporali ullo commodo illectus, non virium infirmitate fractus, non ingenio debilitatus, nec moleſtis inductus ſuaſionibus, ſed ſola veritatis agnitione permotus, ſola ſupernæ gratiæ illuſtratione perfuſus, ſolo denique ſalutis ſuæ deſiderio incenſus, errores ſuos ſingulari ſtudio rejiciat, ſummaque contentione ejuret ut retractationis Libellum, 'quem *PROPRIA MANU TOTUM PERSCRIBERE VOLVIT*, *ſelectis PATRUM AUCTORITATIBUS, & RATIONIBUS ROBORARIT.* Nonne hæc eſt mutatio Dexteræ Excelſi? *Qui innummeris Chariſmatum donis univerſum Eccleſiæ Corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique ſplendor appareat, nec poſſit niſi gloria eſſe Chriſti cujuslibet meritum Chriſtiani.* (*a*) Neque enim exiguum id eſſe reputamus Epiſcopi Myriophitani meritum, qui ſanctiſſimos Job, & Davidem imitatus nullam afferri ſibi moram paſſus eſt ab importuno, quo imbecil-

a) *S. Leo M. Serm.* 63. *Cap.* 7. *Par.* 1. *Oper. cit. Edit.*

cilles animi plerumque capiuntur, pudore erata ſua confitendi; ſed ſummam ingenii docilitatem, ac miram animi fortitudinem in damnandis ſententiis ſuis, ſeque ipſo pro veritate abjiciendo, declaravit: Audiatur hic Ambroſius, cujus verbis dum Febronii laudes cumulantur, vulgi ſtultitia deteſtatur: *Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipſo electus Deo, & unctus in Regnum, flagellis ſe ſpontaneus offerebat, nec erubeſcebat; & Tu erubeſcis? Non multum iſta verecundia Tibi opitulabitur, cum ad Judicium Dei veneris: Sed pudoris Te iſtius pœnitebit, cum in conſpectu non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum, & omnium Poteſtatum cœleſtium conſtitutus, cœperis peccata propria non negare. . . Non eſſe hodie in requie ſervulus meus Job, ſi erubuiſſet tres illos Reges Amicos ſuos; nec ipſe David, ſi erubuiſſet delicta propria confiteri. . . . . Et quia uterque eorum non erubuit factorum ſuorum pretium in mea ponere poteſtate, meo ſe judicio voluntatique committere; nec Ego de talibus Servulis erubeſcam, ut appellem Amicos meos, qui meam ſtuduerint facere voluntatem.* a) Accedere etiam ad ipſius

a) *Enarrat. in Pſ. David.* 37. *n.* 51. *Tom.* 1. *Oper. col.* 838. *Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.*

ſius meritum debet, quod cum à perniciosa diſſenſione ipſe jam diſceſſiſſet, ab eadem itidem ſuo exemplo brevi abducturum eos confidamus, qui hactenus illius, tanquam ſui Doctoris, ſigna ſunt ſecuti.

Si Dioſcori interitus, qui in ſua ſentiendi privitate obiit, ut ſcribit Leo Magnus, a) *in profundiora dejecit aſſeclas ejus, & perfidiæ incentore ſublato inſtabiles quædam, & inſipientes animæ habent, quod paveant, non habent, quod ſequantur;* quales nunc eſſe Febroniani debent, Auctorem ſuum videntes, non jam extinctum, ſed immutatum, ſed Sectatorum omnium in ſeipſo damnantem errores? Habent illi adhuc quem ſequantur, ſi ipſo præeunte redire ad officium, ad ſanitatem velint; ſi renuant, & in ſua defectione perſiſtant, quid jam illis ſupererit, detracto Duce, niſi ut incerti paveant, confuſi ut erubeſcant? Qui enim ſe a Romana Eccleſia ſe jungunt, in eaque conſtitutam Unitatem dividunt, dum amantiſſimæ ſuæ Matris ſinum & amplexum recuſant, omnem ſuam ſubſtan-

a) *Epiſt.* III.

tiam quaſi profugi, & inopes diſpergunt. Verumtamen pergant illi, quas libuerit, fraudes inſidiasque huic Eccleſiæ ſtruere, atque inferre calumnias, &, ut magis adhuc obtrectent, Sæculi Poteſtatibus eamdem obſiſtere, atque adverſari clament; tamen vel inviti agnoſcant, ac fateantur neceſſe eſt, quanta nunc iis auctoritatis ſpecies deceſſerit, quamque in apertum aggerata illa falſitatis commenta proferantur. Neque ſe magno ſimiliter errantium numero tueri poterunt, ſibique de multitudine blandiri; ut enim Ambroſius egregie monuit: (*a*) *Multitudo ſociorum impunitatem non facit criminum: Nam in Sodoma, & Gomorrha, & in totis quinque Civitatibus innumerabiles utique habitabant Populi, & omnes pariter . . . . igneis imbribus conflagrarunt.*

Nos interea Myriophitanum Epiſcopum, qui manifeſta profeſſione a ſe abjecit ac repulit quidquid in Scriptis ſuis Romana deteſtatur

(*a*) *Lib. de Lapſ. Virginis conſecr. Cap.* 9. *n.* 41. *Tom.* 2. *Oper. col.* 316. *ſupracit. Edit. Pariſ.*

ſtatur Eccleſia, & nihil ſimulatum, nihil obſcurum, nihil ambiguum in ſua Retractatione intexuit, diutius morari non poſſumus, quin, etſi magno a Nobis locorum intervallo diviſum, in Spiritu Caritatis amplectamur ; & ab inefabili miſericordia Dei non judicemus alienum, ſed omnis culpæ abolitionem, & Apoſtolicæ pacis gratiam impertiamur : *Nullas patitur veniæ moras vera Converſio ; & in diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacrymas, genitusque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam.* (*a*) Aliter, uti docuit per aptiſſimas ſimilitudines Cyprianus, (*b*) præcluderemus, atque abſcinderemus iter doloris, ac pœnitendi viam; & dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollitur. Supremus enim Creator noſter magis placatur voluntate, quam ſanguine, ut oſtendit in Abraham, cujus fidem in Filii oblatione requiſivit ; at ſi eum

 juſſit,

(*a*) *S. Leo M. Epiſt.* 83. *Cap.* 4.
(*b*) *Epiſt.* 52. *juxt. Edit. Pariſ.* 1603.

juſſit offerri, tamen non permiſit occidi. (a) Huic Noſtræ voluntati magnum adjecit incitamentum Trevirenſis Archiepiſcopus, qui idipſum a Nobis ſummo ſtudio poſtulavit, ipſi non ſolum omnem habemus, pro ſua amplitudine, ac virtute, fidem; ſed tantum exiſtimationis, caritatis, ac laudis pro innumeris ſuis in Eccleſiam meritis deferimus, ut incredibilem in modum illius ſtudiis, illius gloriæ faveamus. Ejus maximæ, poſt Deum, in eximio hoc opere partes extiterunt; ejusdem Conſiliis, atque Actis, tam præclara incœpta præclariores ſunt exitus confecuti. Summa eſt præterea ipſius Nobiscum conjunctio, ſumma erga Apoſtolicam hanc Sedem obſervantia. Quapropter dum ipſum debita hac prædicatione proſequimur, dum tantopere de ſua pietate gaudemus, adhuc multo majore fiducia nunc ab ipſo petimus, eumque obſecramus, ut paſtorali Animo pergat Adverſariorum Machinamento confrin-

(a) *S. Petr. Chryſol. Serm.* 108. *Edit. Lugdun.* 1637.

ſtringere, Coepiſcoporum excitet diligentiam, ut quos eadem Unitatis cauſa conjungit, eodem ardore inflammentur in revocantis iis, qui a veritatis ſemita conſultius deerrarunt in ſuis Eccleſiis, ut ita *Domini ovile reparetur, & per ſollicitudinem Caritatis atque doctrinæ, omnes Chriſti Oves unum ſe ſentiant habere Paſtorem.* (*a*)

Hæc ſunt Venerabiles Fratres, quæ in ſinu Noſtro diutius continere præ gaudio non potuimus, quin Vobiscum communicaremus; ut quos antea ſollicitudinis, ac doloris ſocios habuimus, nunc conſolationis Noſtræ compotes, participesque faciamus. Præclaram tribuit annunciandæ hujus lætitiæ opportunitatem, illamque potiſſimum auget, hæc ipſa ſolemnis, quam celebramus Reparationis dies (*b*), in qua *Rex pacis, cum ſua pace procedens, fugavit omne diſ-*

 ſidi-

(*a*) *S. Leo M. Epiſt.* 141. *in fin.*

(*b*) Alexander PP. VI., uti proditum in Diario Burchardi Cæremoniarum Magiſtri, habuit die 25. Martii 1498. Conſiſtorium ſecretum recurrente Domini-

ſidium, diſſenſiones depulit, diſcordiam perturbavit, & ſicut cœlum ſplendor ſolis, ita Eccleſiam fulgore pacis illuminat. . . Ut nunc procedente Chriſto Rege pacis omne, quod triſte eſt, auſe-

minica quarta Quadrageſimæ, *Lætare* nuncupat., in quo providit nonnullas Epiſcopales, Eccleſias. Benedixit Roſam auream; & deinde venit ad Cappellam majorem, in qua celebravit Miſſam Card. Peruſinus.

Julius PP. II., teſte Diario Paridis de Craſſis Cœrem. Magn., habuit Conſiſtorium ſecretum in Aula Paramentorum die 23. Februarii 1505., recurrente Dominica tertia Quadrageſimæ; & poſtea venit ad Cappellam, in qua Miſſam cantavit Archiepiſcopus Athenienſis Adſiſtens.

In Diario Phebei Cærem. Mag., A. 1646., legitur; *Feria 2. die* 12. *Menſis Martii, licet ſit Feſtum Palatii, videlicet S. Gregorii Magni, tamen habitum eſt Conſiſtorium ſecretum, præſentibus triginta Cardinalibus; in quo propoſitæ ſunt multæ Eccleſiæ, & petitum Pallium pro Eccleſia Strigonienſi &c. Heri mane cum Sanctiſſimus* (Innocentius PP. X.) *Curſori dixiſſet, quod hac mane eſſet Conſiſtorium, dictum eſt, reſpondiſſe: Eſſe Feſtum Palatii, & ideo celebrari non poſſe Conſiſtorium. Cui quam prudentiſſime Summ. Pontifex, poſſumus, inquit.*

Cle-

auferatur a medio, & illuceſcente veritate, fugetur mendacium. (*a*)

Hic etiam aptiſſimus ſe obtulit Nobis ad Vos alloquendum locus, e conſpectu nempe glorioſæ Confeſſionis Principis Apoſtolorum, qui Petra eſt, ad quam eliduntur Filii Babylonis: & obtinens cum æterno Sacerdote indeficiens conſortium, Sedi ſuæ præeſſe non deſinit, ut omnino Febronii pœnitentiam ejus patrocinio referre debeamus.

Plurimam quoque jucunditatem attulit Vos alloqui e latere Corporis Magni Leonis, quo Chriſtus utitur aſſertore; cujus Scripta ſua-

Clemens XIII. die 24. Decembris 1767. mandavit Indici Conſiſtorium ſecretum, dum cantabantur prim. Veſper. Nativitatis D. N. J. Chriſti; quibus Expletis, habuit Conſiſtorium in Aula Conſiſtoriali Palatii Quirinalis, & gravi Allocutione expoſuit neceſſitates Catholicæ Eccleſiæ, & decrevit ſolemnem utriusque Cleri Supplicationem habend. die 28. ejusd. Menſis. Feſt. SS. Innocentium, in Baſilica Vaticana, cui idem Summus Pontifex cum Sac. Cardinal. Collegio, ac omnibus Romanæ Curiæ Præſulibus interfuit.

(*a*) *S. Petr. Chryſolog. ſerm.* 149. *cit. Edit.*

ſuaviſſima præbent Legentibus ſpectacula; *quemque Advocatum, & Propugnatorem veritatis invenimus.* (a)

Gloriemur itaque in Domino, VENERABILES FRATRES, & cauſam hujusce actionis ad originem ſuam, caputque ferentes, illi immortales gratias; illi laudem, gloriam, & honorem tribuamus, in cujus manu & hominum corda, & momenta ſunt temporum.

(a) *Theodoret. Epiſc. Cyr. ad S. Abund. Epiſc. Comenſ. apud Baron. ad ann. Chriſti* 450. n. 33. *Tom.* 8. *Annal. Edit. Lucenſ.*

Index

Rerum Tomi V.

A.

Appellatio ab abuſu p. 371. Canonibus & traditioni adverſatur. p. 373. &c. nova eſt. p. 376. 379. ejus abuſus. p. 380.

Athanaſius non appellavit ab abuſu. p. 372.

C.

Cajetanus Card. à Febronio citatus eundem refellit. p. 289.

Cenſores & Cenſuræ Romanæ, item politicæ. p. 190.

Concilia contra Papam nihil valent. p. 209. &c.

Conciliorum particularium ceſſationis cauſæ. p. 221.

Conciliorum libertas in quo conſiſtat. p. 224. 226. &c.

Concilium Triburienſe. p. 364.

Concordata Germaniæ juſta & rationabilia. p. 139.

de iis abolendis actum fuit. p. 145.

Curia à Sede Apoſtolica diſtinguitur. p. 156.

D.

Decretales Epiſtolæ ante Siricium P. extabant. p. 64.

Duarenus Franc. Febronio opponitur. p. 259.

E.

Eccleſia Gallicana ſuas libertates in eo non ſtatuit, in quo Febronius. p. 122.

Epiſcopi ad Concilia ægre conveniebant. p. 217. eorum munus in Conciliis Provincialibus & Nationalibus. p. 225.

Excommunicatio injuſta qualiter ferenda? p. 296.

F.

Febronius ſibi contradicens. p. 19. 32. 133. 247. falſam de Capite Eccleſiæ Ideam tenet. p. 24.

p. 24. Scripſit totam errorum congeriem. p. 30. falſum dicit. p. 45. non loquitur cohærenter. p. 68. teſtimonia inepta adducit. p. 70. Eccleſiam totam erroris ac ſuperſtitionis arguit. p. 84. &c. Catholice non loquitur. p. 102. ab Acatholicis redarguitur. p. 103. M. Antonii de Dominis verba & ſententias exſcribit. p. 107. 112. pro Reunione nihil profuit, magis nocuit. p. 107. ad illam mediis contrariis utitur. p. 108. magis Eccleſiæ hoſtis, quam conciliator. ibi. arma à Proteſtantibus mutuat. p. 110. 137. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ falſo explicat. p. 123. ab his ad alias Eccleſias male argumentatur. p. 177. Curiam Romanam invidioſe carpit. p. 151. independentiam Canonicam ſtatuit. p. 171. ad veteres Canones male provocat. p. 183. à Gelaſio I. retunditur. p. 184. Laxitatis, imo falſi convincitur. p. 193. 198. Poteſtati Sæculari in Conciliis Authoritatem tribuit. p. 212. ceſſationem Conciliorum RR. Pontificibus falſo adſcribit. p. 216. Schisma & rebellionem commendat. p. 228. pro ſubtractione obedientiæ exempla illegiti-

ma affert. p. 236. Sedem à Sedente doloſe diſtinguit. p. 279. S. Leone M. falſo abutitur. p. 281. exemplis pro ſua reſiſtentia infelîciter decertat. p. 284. &c. 247. 289. 359. 361. 362. Concilium Triburienſe falſo explicat. p. 364. Appellationem ab abuſu illegitime proponit. p. 371. falſam regulam ſtatuit. p. 382. Ejus doctrina propoſitionibus damnatis Wicleffi, Huſs, Martini Lutheri affinis eſt. p. 404. &c. Febronii retractatio in fine.

G.

Galli Papam à Concilio judicari non ſinunt. p. 202.

Gelaſius I. contra Pſeudo-Theologos. p. 184.

Gerſon ſibi contradicit. p. 48. 49.

Gregorius VII. vindicatur. p. 195.

Gregorius XIV. defenditur. p. 160.

H.

Hadrianus VI. cur ab Italis non magni æſtimetur p. 155.

Hinc-

Hincmarus Rhem. Iſidori Decretalibus ſe opponit. p. 14. à Nicolao I. retunditur. ibi.

I.

Imperatores veteres ſupremam in Præſule Romano Poteſtatem profeſſi ſunt. p. 88.

Index Librorum prohibitorum. p. 190. &c. 198.

Juriſconſulti Galli circa libertates Eccleſiæ gallicanæ non conveniunt. p. 118.

Jus Eccleſiæ antiquum & novum. p. 11.

Juſtinianus Imperator quo ſenſu tulerit leges Eccleſiaſticas. p. 260. non ſemper in omnibus laudabilis. p. 261.

L.

Labruſſel contra hodiernos criticos. p. 186.
Leibnizius æquior Febronio. p. 389.
S. Leone M. Febronius male abutitur. p. 281.
Libertas Eccleſiæ in quo conſiſtat? p. 5. & 11.
Libertates Gallicanæ quodnam fundamentum habeant? p. 124. non poſſunt dici jus commune. p. 126.

M.

de Marca Petri emendationes & retractatio. p. 407.

Mathæus Pariſius. p. 358.

N.

Nicolaus I. Genuinis teſtimoniis nitebatur. p. 14. 35.

O.

Otto Friſingenſis partium Studio deditus. p. 195.

P.

Papa Caput Eccleſiæ & quale? p. 24.

Placetum Regium eſt nova praxis, item quando & ubi locum habeat? p. 312. &c. eidem materia fidei, dogmata, poteſtas clavium non ſubjacent. p. 320. nec leges & ordinationes Eccleſiaſticæ. p. 321. ſed ſolum materia mixti fori, Concordatorum, Privilegiorum alicujus Regni. pag. 322. ejusdem abuſus p. 323.

Placetum Eccleſiaſticum in Eccleſia non minus locum habet. p. 329. in executione hujus impedimenta. p. 330.

Ponti-

Pontifices RR. qualiter in temporalia ſe ingeſſerint? p. 160. &c. à Concilio judicari non valent. p. 202. ceſſationis Conciliorum cauſa non ſunt. p. 217.

Principes Sæculares in Eccleſia & negotiis Eccleſiaſticis Authoritatem non habent. p. 262. eorum officium in Eccleſia ex Tridentino. p. 335.

Q.

Quirini Card. refutavit Schelhornium. p. 189.

S.

Schelhornius à Cardinali Quirino refutatus. p. 198.

Sedis à Sedente diſtinctio ſeductoria & vana eſt. p. 279.

Sixtus V. defenditur. p. 160.

T.

Thomaſſinus poteſtatem R. Pontificis defendit. p. 15. à Febronio male emendatur. p. 392.

Tridentinum Concilium de officio Principum, & immunitate Eccleſiaſtica. p. 334.

Erra-

Errata propter abſentiam Dni. Authoris corrigenda.

Tomus V.

Errata.	*Lege.*
Pagina 9. l. 8. Papalls.	Papalis.
— 17. l. 6. Caput. III.	Caput VIII.
— 26. l. 6. ut non niſi.	ut non ſit, niſi.
— 30. l. 7. errorem congeriem.	errorum congeriem.
— 35. l. 2. occaſio, non neceſſitas.	occaſio non cauſa, neceſſitas.
— 47. l. 12. ignorabuntur.	ignorabatur.
— 50. l. 21. æqua eſt iuſta ſunt.	æqua & iuſta ſunt.
— 54. l. 9. non recte referunt.	non recte referuntur.
— 66. l. 14. more perpetua.	more perpetuo.
— ibi. l. ult. omnia juſtum.	omnia in iuſtum.
— 68. l. 4. non quidem, ſed.	non quidem ſe, ſed

/

Errata corrigenda.

Errata.	*Lege.*
Pag. 70. l. 14. cogitane, oportuiſſet.	cogitare oportuiſſet.
— 82. l. 22. non ſuffi- cere.	non ſufficeret.
— 91. l. 15. iniuſtitiæ.	iniuſtitia.
— 92. l. 15. expedie- runt.	expetierunt.
— 100. l. 8. ſuppreſſe.	ſuppreſſæ.
— 106. l. 8. illatam.	illatum.
— 114. l. 6. deterioris conditionis.	deterioris eſt conditionis.
— 116. l. 13. decretaret.	detrectaret.
— 119. l. 10. Judicium.	Judicum.
— 124. l. 4. intentento.	intento.
— 146. l. 16. reſtituerunt.	reſtiterunt.
— 155. l. 15. quia Curia.	quia Curiam.
— 161. l. 9. Barbonii.	Bourbonii.
— 174. l. 5. Imperator.	Impetrator.
— 177. l. 14. Curiæ ratio- nes ibi locum.	Curiæ rationes : ibi locum.
— ibi. l. 20. confirmare.	conformare.
— 178. l. 23. lagmannum	laymannum.
— 179. l. 13. exteris à Domeſticis.	exteris, à Domeſticis.
— 180. l. 4. Eugenius IV.	Eugenio IV.
— 186. l. 16. remotas per- ſequi.	remotas ſemitas perſequi.

Pag. 191.

Errata corrigenda.

Errata.	*Lege.*
Pag. 191. l. 8. Syſtemati non favere.	Syſtemati favere.
— 192. l. ult. non abhorrere.	nos abhorrere.
— 195. l. 5. de S. Gregorii VII.	de S. Gregorio VII.
— 198. l. 11. mutare.	mutuare.
— 212. l. 2. ne ſalubriora ſtatuant.	ne ſalubriora non ſtatuant.
— — l. 15. Studia declinare.	Studia celare.
— 217. l. 12. & ſingulis annis.	ut ſingulis annis.
— 221. l. 20. ſaluberrimam.	Saluberrimorum.
— 224. l. 13. oportunis.	oportunius.
— 227. l. 20. ſenſum Genium.	ſenſum & genium.
— 230. l. 9. & una.	ut una.
— 231. l. 6. adhuc Eccleſia.	adhuc in Eccleſia.
— 233. l. 1. conſilia.	concilia.
— — l. 5. refractari.	refractarii.
— — l. 22. Ponticem.	Pontificem.
— 234. l. 6. gravis Sacrilegio.	gravius Sacrilegio.
— — l. 9. qualicunque.	qualiacunque.

Pag. 237.

Errata corrigenda.

Errata.	*Lege.*
Pag. 237. l. 12. ad ipſius.	at ipſius.
— 242. l. 21. gratiâ & Epiſcopi.	& Epiſcopi gratiâ.
— 245. l. 2. vocavit.	vacavit.
— 255. l. ult. ſublata.	ſublato.
— 262. l. 15. quæ ſunt Cæſari.	Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.
— 279. l. 16. recuſare.	recuſaret.
— 292 l. 7. dicitur.	deciditur.
— 295. l. 18. ad Poteſtatis.	ad Poteſtates.
— 307. l. ult. ſollicitudine.	ſollicitudini.
— 309. l. 14. reſervationum,	reſervationes.
— 345. l. 18. celubris.	celebris.
— — l. 23. Dei Altaria.	ſuper Dei Altaria.
— 348. l. 12. rationem.	ratione.
— 355. l. 11. innititur.	innituntur.
— 359. l. 5 ubi Canones,	ubi Canones?
— 367. l. 2. convinciter.	convincenter.
— 369. l. 3. quæritur.	queritur.
— 374. l. 14. ut Monarchi.	ut Monachi.
— 379. l. 23. ab uſu.	ab abuſu.
— 380. l. 11. laudabilis.	laudabilibus.
— 384. l. 22. præque.	peræque.
— 385. l. 15. adlaborare.	adlaborari.

Pag. 403.

Errata corrigenda.

Errata.	*Lege.*
Pag. 403. l. 23. ipſis Febronii.	ipſius Febronii.
— 408 l. 13. Barzione.	Barcinone.
— 413. l. 4 excepta hæreſeos.	excepto hæreſeos
publicee profeſſo caſu.	publice profeſſæ caſu.
— 421. l. 13. memtemque	mentemque
repetente.	repente.
— 424. l. 23. authoritatem.	authorem.
— 426. l. 14. exhibit.	exhibebit.
— 430. l. 1. excitum.	exitum.
— 451. l. 7. jus.	eius.
— 465. l. 7. privitate.	pravitate.

AnT 1316999

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google